



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XIX. Religio defensa, illustrata, & propagata per Societatem Jesu in
imperio Sinensi, ab anno Christi MDXCI, ad MDCXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

LIBER XIX.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XIX.

Religio per SOCIETATEM IESU defensa, illustrata, &
propagata in Imperio Sinensi, ab anno Christi
MDCXI. AD ANNUM MDCXVI.

I. **R**IMORDIA Sinica Missionis. II. P. Matthæus Riccius Litteratos Sinenses, eruditionis opinione conciliatos, ad cognoscendam & amplectendam Christi Fidem adducit. III. Concitata a Bonziis turba patientiâ Patrum & lenitate sedantur. Hinc specimen capitur divinæ legis, & aditus in urbem regiam aperitur. IV. Societatis domus Nankami posita. V. Statio Xaoceana vexatur. Tertia Societatis in Imperio Sinensi persecutio. VI. Societas Nankinum inducitur. VII. Confucius Sinarum Philosophus. VIII. Quædam ejus effata. IX. Riccius Pekinum velut Numinis manu ductus. Urbis conspectus. Prima Deipara sodalitas Pekini constituta. Neophytorum eximia virtus. Plurimum Numinum cultus nova lege prohibetur. Mandarinum plerique Christo dant nomen. X. Religio longè lateque propagatur. XI. Quarta Societatis persecutio. Ejus occasio & progressus. Franciscus Martines plagis ad mortem multatus, in limine carceris expirat. XII. Quinta persecutio. Ejus auctores, modus, & exitus. XIII. P. Matthæi Ricci obitus, & vita synopsis. Templum Domino cæli publicè Nankini dedicatum. XIV. Aditus in provinciam Chekiamensem Religioni & Societati datus. XV. Sexta persecutio. Taoisti veneficorum genus. XVI. Imperii Sinici recens & accuratior notitia. Privata res Sinarum & domestica. XVII. Publica res, sive imperii administrandi ratio. XVIII. Eorumdem religio.

SINENSE Imperium postremam ad ortum & meridiem Asiæ continentis partem occupat. In quindecim provincias, sive præfecturas majores totum dividitur. Ab oriente clauditur mari, & Japoniam spectat: ab occidente Tunkinum, Laos, & Siameses, habet: à septentrione Tartariam attingit: à meridie terminatur oceano, & Philippinas respicit. Ejus latitudo, id est, spatium ab Austro ad Boream, continebat olim gradus admodum octodecim, qui leucas communes consueverunt quadringentas & Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

I.
Imperii Sinici
brevis notitia.

quinquaginta; quarum scilicet viginti quinque uni gradui vulgo respondent. Eadem erat ferme longitudo, seu spatium ab occidente ad orientem. Nunc multo latius patet, productis ex fœdere Moscovitico, longè in Tartariam ejus limitibus, ac mille nongentas circiter leucas ambitu colligere perhibetur. Olim Sinarum fines incurfabant Tartari; quorum impetus ut retardaret Imperator Xihoantus, ingentem struxit murum per leucas ferè quingentas, additis turribus, fossis, & aliis operibus, ubi metus ab hoste major, Latitudo muri pedum est quintum: altitudine mœnia, quibus urbes vulgo cinguntur, non superat. Decies centena hominum millia vigili præsidio illum tutabantur. Nunc, postquam Tartariæ pars magna imperio accessit, pauca cohortes certis dispositæ locis excubant.

Amplius mille urbes bellicæ, ut appellant, numerantur, tormentis muralibus, militibus, munimentis instructissimæ: reliquarum urbium variæ sunt classés, Aliæ primi, aliæ secundi, & tertii ordinis vocantur. Pleraque duas, tres, quatuorve leucas circuitu complectuntur. De illarum incolis & gentis moribus, religione, sapientia in imperio administrando, multa litteris hæcenus prodita sunt: non pauca tamen, pro materiæ amplitudine, fuerunt vel omiſſa, vel etiam secus atque oportuit narrata; quæ à recentioribus Evangelii præconibus observata sunt diligentius, neque auribus duntaxat, sed oculis ipsis percepta. Hæc tametsi curiosis & eruditis digna sunt lectoribus, & pleraque cum Societatis Historia Sinensi aliquo pacto conjuncta: imo licet nonnulla ex iis ad graves, quæ de ritibus & moribus Sinarum exortæ sunt quæstiones cognoscendas videantur esse necessaria; ne nos tamen diutius morentur in libri limine, rejicienda duximus ad ejus calcem; & perstrictis leviter Sinicæ Missionis primordiis, ea quæ post annum MDXC. contigerunt, exponere festinamus.

Cum primum nata Societas est, antiquissimum illi fuit Sinis Christum & Evangelicas opes inferre. Indiarum Apostolus in tanti operis molitione ac velut prociñtu decessit. Illius Apostolicæ caritatem imitati Societatis homines nihil intentatum reliquerunt ut gentem cultissimam, & humanis institutis ac litteris abundantem, cœlestibus ac divinis auferent: cumque facta per id tempus Lusitanis potestas esset Europæas merces in Sinicum litus & vicinas urbes importandi, hanc opportunitatem captarunt, ut pretiosiores mercibus omnibus Christianæ Fidei gazas iisdem impertirent. Itaque P. Alexander Valignanus, Societatis in India Visitator, operam anno MDLXXIX. dedit ut P. Michael Rogerius ex urbe Macao, ubi Sinenses litteras moreſque cognoscere studuerat, in Sinam interiorem, quæ ad eam usque diem fuerat Christi ministris obstructa, si qua fieri posset ratione, penetraret. Rogerius Lusitanos mercatores ad nundinas, quod merces deportabant, secutus anno MDLXXXI. & magistratus aliquot Sinenses non iniquos nactus, ab iis facultatem impetraverat diversandi per aliquot menses in urbe Quanceo, & rem divinam publicè faciendi: mox etiam domum ac templum condendi in civitate Sciaukino, una è secundariis Quantuniæ provinciæ urbibus. Erectus in spem primordiis tam auspiciis Valignanus Matthæum Riccium, ex India evocatum anno MDLXXXII. in perdiscendas Sinarum litteras jussit incumbere, quibus probe instructus ad Sinicam expeditionem se accingeret. Riccius, comparata linguæ Sinensis doctrinæque notitia, Sciaukinum cum Rogerio profectus est anno MDLXXXIV. nec ita multo post illis adjuutores accesserunt ex urbe Macaensi Odoardus Sandeus, & Antonius Almeida*. Post tentatum frustra in interiorem Sinam ingressum, coacti Sciaukinum redire, inde quoque sunt exturbati, & in urbem Xaoceam commigrare jussi: ubi secundam quasi stationem Societas habuit, anno MDLXXXIX. Ea cum neque fatis putaretur esse firma, tum propter contemptum & odium, quo exteros Sinæ proſequebantur; tum propter summam auctoritatem magistratum, qui patriis freri legibus, peregrinos sacerdotes impune poterant ejicere, si avaritia vel cupiditas alia suaderet; videbatur Valignano superesse hoc unum, ut a Sinarum Imperatore facultas Evangelii prædicandi peteretur, & in ejus imperio commorandi. Quærebatur aditus ad inaccessam alienigenis majestatem Sinarum & regiam. Ille nullo pacto commodius obtineri posse creditus est, quàm publica & illustri Summi

S. I.
SINICÆ MISSIO-
NIS INITIA.

*Part. V. Lib. V.
num. 162. V. l. nu.
115. IX. 278. 298.

Pon-

Pontificis ad Imperatorem legatione: utque negotium conficeret, profectus erat Romam, Valignani jussu, Michael Rogerius anno MDLXXXIII.

Jam quidem deliberatum de aliqua ejusmodi legatione fuerat annis superioribus, & mittendos regis Philippi II. nomine legatos vehementer contendebat P. Alphonsus Sancius, qui hanc ob causam, auctore Philippinarum gubernatore, Macaum & in Sineses aliquot alias urbes erat progressus. Verum nihil profecerat: imo etiam veriti à Mandarinis fuerant Hispani ullam in posterum de mittendis legatis mentionem facere. Simile quidpiam, at successu nihilo feliciore, tentaverat Martinus Loyola, ordinis religiosi alumnus. Oblato Mandarinis libello supplice, dari facultatem sibi suisque in Sinico Imperio manendi postulabat. Repulsam passus, legationem ab Rege Hispaniæ mittendam, si sineret Imperator, promittere non dubitavit, licet nihil ad eam rem ab aula Hispana mandati haberet; licet ab Indiæ Prorege admonitus, ne se rebus Sinicis immisceret. A Mandarinis rejectus ac male verbis acceptus, ipsius interprete multis verberibus affecto, rem Christianam in magnum periculum conjecit. Dolorem suum ultus est vexanda Societatis fama, cui causam rei male gestæ assignabat: quamvis eam complecti studiosius debuisset; quippe cum S. Ignatio Loyola nomine, sanguine, patria conjunctus. Sed cum corrogata quædam ab invidis & obrectatoribus scripta in lucem edere pararet, a Philippo II. in cœnobium, unde pedem non efferret, recipere se jussus est. Rogerius interim Olisipponem & Romam attingit anno MDLXXXIX. Cum Pontifice & Rege Catholico de mittenda ad Sinarum Imperatorem legatione verba fecit. Uterque consilium approbavit: sed gravissima negotia, quæ Christianum orbem, & aulam Romanam occupabant, ne res ad optatos exitus perduceretur, obstiterunt. Itaque Salernum Rogerius jam senio fractus concessit, ubi Sociorum pios in Sinenfi vinea labores, quoad vixit, precibus adjuvare perrexit.

QUEM in Sinas aditum expedire tot annorum & hominum labor nequiverat, hunc divina bonitas per unius viri prudentiam, eruditionem, ac patientiam aperuit. Matthæus Riccius ornare Xaoceanam stationem anno MDXCI. gestiens, ut curiosam gentem ad cognoscendam Christi legem alliceret, domum nostram piis tabellis eleganter pictis instruxerat: quas dum affluentes cupidè cives, præsertim Litterati, spectabant, & Riccium singula explicantem audiebant; non solum accendebantur desiderio pernoscendæ religionis, verum etiam amplectendæ. Sed plerisque deterrebat Christiani matrimonii sanctitas, quæ plures unâ uxores ducere prohibet; cum plurimarum copiam Sinis faciat consuetudo, qui splendorem familiæ non magis servorum & clientium, quam uxorum, numero metiuntur. Sic enim & augeri sobole patriam, & mortuis progenitoribus, in longa nepotum serie veluti redivivis, rem fieri gratissimam arbitrantur. Jam, inter uxores unam quandam habent primariam, & quasi principem dominamque ceterarum, eamque viro non esse imparem genere oportet; aliæ secundariæ obscuro sunt ferme loco nata: illas nihilominus dimittere maritis nefas & ignominiosum. Cum igitur nec viva conjuge primaria possent repudiare secundarias, quia vetabat lex; nec mortuâ, illarum aliquam ducere, quia inferioris erant conditionis; hinc matrimonii Christiani conditionem laudabant illi quidem ut sanctam, & suorum etiam philosophorum placitis consentientem; sed ut molestissimam, atque à patriis moribus abhorrentem, averfabantur. Et quamvis nonnulli sacri baptismatis cupidiores, unam se duntaxat conjugis habituros loco sponderent, ceteris a tori societate semotis; quia tamen eas domi retinere cogebantur, incontinentiæ periculum non aberat. Idcirco illos sacro baptismi fonte arcendos esse Patres ita judicarunt, ut ne penitus tamen rejecti contemptique viderentur; sed fovendos ac erudiendos tandiu, dum spes aliqua melior alluceret.

Id consilii quam prudenter ceperit Riccius, confestim apparuit. Ventitabat ad illum juvenis ingeniosus & eruditus, è Litteratorum, quibus honor apud Sinas maximus habetur, numero & ordine, Chiutaisus. Ille dilapidatis per luxum & libidinem, quas à parente amplas acceperat, fortunis, cum auri conficiendi artem undique rimaretur, putavit Europæos doctores hujus artis minime rudes

2.
Mittendæ ad Imperatorem legationis consilium non succedit.

§. II.
P. MATTHÆUS RICCIUS SINESSES LITTERATOS AD CHRISTIANAM RELIGIONEM ADDUCIT.

esse. Id quanquam dissimulanter investigaret, sagacitatem Riccii non latuit, qui postquam comiter ab illo inanis voti expressit confessionem, graviter ac sanctè subjunxit, se non auri conlandi, sed perennis in cœlo thesauri comparandi artem nosse: hanc docere se posse, nec celaturum tamen quæcumque in humanis scientiis, præsertim Mathematicis, reconditura forent. Incensus discendi cupiditate Chiutaisus totum se Riccio dedit. Nec diu cunctatus est, perspecta viri eruditione, ipsum solenni ritu magistrum & doctorem adoptare. Igitur certa die, magno amicorum asseclarumque comitatu, improvisus illum adiit; ac præfatus pauca, stetit aliquantisper capite demisso: mox genua submitit, humum identidem fronte feriens. Demum Riccio pretiosos obtulit pannos, ejusque munusculis vicissim acceptis, eundem postridiè convivio excepit. Sic in discipulum & clientem certum adscitus, magistri domum, tanquam scholam, quotidianus auditor frequentabat. Ac primo quidem Riccius nonnihil ipsi de Mathematicis tradebat disciplinis: deinde aliquod doctrinæ Christianæ caput explicabat: excipiente dictata & audita discipulo, quæ recoleret per otium domi; & semper eadem postridie reddente. Paucis mensibus ita profecit, ut de arte numerandi, quam Algebra vocant, commentarios ediderit in lucem, multis eruditorum laudibus ornatos. Alios subinde vulgavit de sphaera, de arte Gnomonica, de Euclidis Elementis; addita semper honorifica magistri, à quo ista didicisset, mentione. Non erat segnior in religione percipienda. Ut pollebat ingenio, quidquid objici contra mysteria nostræ Fidei subtilius potest, opponebat: quibus cum egregie satisfaceret Riccius, vera dici fatebatur. Ne tamen ulterius pergeret obstitit mulier, quam, uxore primaria demortua, domi habebat; neque tamen ut duceret, humiliore nimirum loco natam, adduci tunc potuit. Non destitit nihilominus Fidem, ejusque præcones, ubique ita commendare, ut illis præfectorum & magistratuum, quibus notus & carus erat, benevolentiam conciliaret. Ac licet vicissim Riccius hominem urgere non cessaret, ut cognitam veritatem sequeretur; nihilominus cavebat ne illum absterret, id fore sperans, quod reipsa contigit, ut carnis ac sanguinis vincula, quibus constructus tenebatur, tandem aliquando perfringeret.

Haud minus Religioni ac Riccio profuit Bonziorum furor & invidia, quam istius litterati favor. Fremebant scelerati doctorem peregrinum tantam repente celebritatem consecutum esse. Nondum tamen ausi palam ac per se ipsi servire, additam sibi plebem concitant. Ædes Patrum anno MDXCII. nocturna lapidatione appetita, tectum diffractum, concussa graviter fores. Detectis facti auctoribus veniam Riccius ab invito magistratu impetravit. Hæc secunda Societatis in Imperio Sinensi persecutio dici potest; si prima numeretur illa, quæ in priore hujus V. Partis Tomo narrata est*, cum Societas Sciaukino pulsa fuit. Animos protervis ea Patrum lenitas addidit. Vix abierant pauci menses, nocte concubia ganeones januam vestibibus moliuntur, domum irrumpunt, obvios ferro sauciant: uni è Sociis impacta in caput securis: Riccio tantum non amputata manus: quid dum è fenestra in vicum, ut effugeret, desiluit, pedem extorsit periculosè. Orto clamore accurrit vicinia; percussores diffugiunt. Re ad judicem causarum capitulum delata, vicini comprehenduntur, & habita quæstione, seriem criminis auctoresque indicant. Cum nostri juberentur à judicibus, ut mos gentis est, reos accusare; id fecerunt adeo molliter, ut attoniti judices, ecquæ hæc esset hæcenus inaudita mansuetudo, rogarent. Nihilominus exemplum in facinorosis capitibus edendum putavere. Dux nocturni tumultus capite damnatur: alii partim trirēmibus addicti, partim grandi pecunia multati. Tum enimvero Christianæ legis sanctitas entuit. Ibat Riccius luxato pede ægre incedens, involutam & propè abscissam gestans manum, cum Francisco Petrio cui securi pæne comminutum caput fuerat, circum omnia tribunalia, orans ut reis vel parceretur, vel mitior imponeretur pœna. Etiamne, exclamavit judicum unus, tam indigno facinore violati amorem & beneficia rependunt? Nunc video quàm sanctè legem vestram servetis, ait, quæ inimicos amari jubet, quod adhuc ut credentem induci non potueram: sed judicis tamen partes, quas mea quoque mihi

lex

3.
Plebs à Bonziiis
concitata Socio-
rum ædes diruit.
Secunda
persecutio Socie-
tatis in Im-
perio Sinensi.

*Lib. IX. n. 242.

Jes imponit, agere certum est. Cum apud istos magistratus nihil proficeret Riccius, non dubitavit iter sex dierum suscipere, si quos alibi forte magis placabiles inveniret. Sed sicarii (tanta feritas fuit!) commodiorem se causam habituros rati, si Patres aliquo vicissim crimine reos facere possent, congerunt calumnias, accusatores adornant, & pristina scelera ingrati animi labe cumulant. Non cessit immanitati tantæ benignitas Christiana. Cum respuerentur à judicibus nefarii sy-cophantæ, ac pœnis coercendi gravioribus, justam Mandarinorum severitatem extimescerent; Riccius præter omnium opinionem adeo vehementer & copiosè pro illis peroravit, ut mitigata priori sententia, pœna capitis ac treremium in paucas plagas converteretur. Ita religionis probitas ethnicis lucet: ita facillime propagatur Fides.

OMNINO constat inde natam occasionem introducendæ cum Societate Religionis in illam tot clausam feris, tandiu impenetrabilem Imperatoris Sinici regiam; quod rerum caput erat. Guanciumminus Mandarinus, è primaria Sinarum nobilitate, præses tribunalis Rituum, ab aula Pekinensi, Haynaniam insulam, ex qua erat oriundus, revisebat. Iter illi per urbem Xaoceam fuit. Cum in ore omnium esset heroica Riccii lenitas, cupido Mandarinum incessit hominis videndi, nec dubitavit eum domi convenire, quamvis regios ministros, magistratus, primoresque urbis, à quibus officii causa fuerat salutatus, sibi visendos ac resalutandos non putaret. Post accuratum de Christiana religione sermonem, in qua nihil suspiciebat magis, quam divinum de inimicis diligendis præceptum, delapsus est ad mathematicas quæstiones nonnullas. Cum autem hac Sinicæ eruditionis parte, in qua non omnino hebes ipse ac tardus erat, Riccium insigniter excultum deprehendisset, Mihi vero, inquit, in animo est adhibere te ad Kalendarium Sinicum emendandum, quod gravioribus quibusdam vitiis laborare cerno. Ea cura pertinet ad meum tribunal: evocabo te Pekinum, statim atque compositis aliquot negotiis, illuc me retulero: neque, ut spero, moræ quidquam erit in Imperatore, quin operam hanc publicæ rei naves. Stetit promissis, ut postea videbimus. Simul atque perccebit quo pacto Riccium accepisset auctoritatis tantæ Mandarinus, quid illi pollicitus fuisset; crevit majorem in modum doctoris Europæi fama. Omnes illi se se in disciplinam tradere: alii arcana mathe-seos; alii mysteria religionis exquirere: paucisque mensibus tam multi ad sacrum baptismi lavacrum convolarunt, ut præcones Evangelici nequirent omnium vota explere. Neque vero nimis festinandum inter hæc initia sapienter putaverunt. Paucos è multis elegere, qui constantiores fore videbantur. Insignis inter illos existit Cosunhoa, mercator locuples, Josephi nomine, cum è salutaribus lymphis jam senex renasceret, donatus. Degebat in urbe Nanhiunga, quæ Sciaukino distat quadridui. Sic ad eam diem vixerat, ut de animæ suæ salute, quam non dubitabat immortalem, esset unice sollicitus. Dissidentium, quæ sunt in Sina, sectarum magistris, aliis alia imperantibus præbebat aures; eorumque deliria, licet operosa & molesta, multo pensabat auro; nec sumptui nec labori parcens, modo æternum salvus esse ac beatus aliquando posset. Eam ob rem esu carniæ, piscium, & ovorum sibi interdixerat, seque miseris modis quotidie afflictabat. Audivit è Chiutaiso novos quosdam ex Europa Bonzios advenisse, qui artem animas servandi scirent. Lætus optatissimo nuncio Xaoceam ad Riccium accurrat. Vix prima doctrinæ cœlestis elementa degustaverat, cum incredibili gaudio affectus collacrymansque, affirmavit hanc illam salutem esse, tot expetitam à se votis, tot laboribus conquistam. Exacto mense, Fidelium gregi additus, in patriam rediit; ubi Apostoli munere functus est, prædicandâ & inculcandâ primum familiæ, tum civibus suis, religione. His auditis Riccius ad eum, cum Chiutaiso, profectus est Nanhiungam, ubi procerum ac magistratuum officiis ornatus, & populi studiis ita celebratus fuit, ut in lectica gestandus esset per vi-cos, ne ab irruente certatim turba opprimeretur. Redeuntem ingens domi ope-riebatur multitudo, ut *verbum salutis* exciperet: vix somni, cibique, raptim carpenti spatium dabatur.

Inter ejusmodi labores, qui bonam anni MDXCII. & MDXCIII. partem tenuerunt.

S. III.

ADITUS IN REGIAM URBEM APERITUR.

4.
Obitus PP.
Franc. Petrii &
Ant. Almeidae.

tenuerunt, ereptum sibi sodalem carissimum Riccius flevit Patrem Franciscum Petrium: cuius eo gravior fuit iactura, quod jam Sinensem calleret linguam, exteris sanè perdifficilem. Accedebat candor morum suavissimus, industria, prudentia, modestia singularis, & animi fortitudo; quæ dotes eximiam de illo spem fecerant. Italus erat, Monte S. Mariæ oriundus. Cum in collegio Romano philosophiæ daret operam, nondum religiosæ adscriptus familia, ac solus in cubiculo de vite statu capeffendo deliberaret, vox a tergo repente audita est: *Ne dubita ingredi Societatem JESU filii mei, in eaque ad extremum persevera.* Respexit, nihilque vidit aliud nisi pictam Deiparæ tabellam: adeo ut vocem inde prodiisse nullo pacto dubitaret: qua in sententia illum confirmavit secuta pax animi, & pietatis intima sensus dulcissimus; qui bonarum in piis mentibus cogitationum comes & index esse consuevit. Voti compos factus est Romæ anno MDLXXXIII. & à Proposito Generali electus ad Japonicam missionem, cum legatis quatuor Japonibus Orientem repetentibus discessit. Progressus Macaam, ibi substitit aliquandiu, & P. Almeida per id tempus demortuo, Xaoceam ad Riccium est missus anno MDXCI. Mortem suam videtur præcivisse. Certo quippe die se obiturum, cum optime adhuc valeret, haud cunctanter denunciavit: ac levi febricula tentatus, arcessivit Riccium; quem arctissime complectens, Vale, inquit, mi Pater, Deus me vocat: paucisque post horis expiravit, Nonis Novembr. anni MDXCIII.

P. Antonium Almeida, cujus in locum fuerat successus P. Franciscus Petrius, Lusitania dederat Societati, anno MDLXXXVI. Cum oclusum in Sinam aditum cerneret Mandarinorum severitate, rogaverat moderatores ut liceret sibi servare servitutem apud unum aliquem è Sinesi populo, & opportunitatem prædicandi ethnicis Evangelii perpetuo libertatis damno emere. Primus in Sinica sepultus humo, felicitis terræ possessionem Sociis velut arrogavit. Supremo in morbo gravissimis oppressus doloribus, illos augeri, sed amorem simul & patientiam augeri, postulabat. Dum valeret, sermo illi vix ullus nisi de Deo, rebusque divinis: amor in JESUM Servatorem singularis, jam inde à teneris susceptus unguiculis, & jugi meditatione accensus; mira in SS. Eucharistiæ pietas, vix ut ab ea divelleretur. Ad officii ecclesiastici diurnum pensum addebat officium B. Virginis, cujus quotidie recitandi morem a puero servaverat. Peregrinationum & ærumnarum, quas ea fert vita, durissimarum acerbitatem jejuniis, ciliciis, flagellis cumulabat; Xaverianum illud *amplius, amplius*, identidem ingeminans. Decessit Xaoceæ XVI. Kal. Octob. anno MDXCI.

5.
Vestis & nomen
Patrum Societatis in Sina.

Quemadmodum Petrius Almeida, sic Petrius subrogatus venit Xaoceam P. Lazarus Catanus Italus. Societati anno MDLXXX. donatus, ac Sinam decimo fere post anno ingressus, in ea per XLVI. annos victricia Christi Crucis vexilla circumtulit. Ortum ab illo est consilium mutandæ vestis, qua Socii tunc utebantur. Vestitus illorum erat idem ac Bonziorum, qui gentis doctores & sacrificuli. Est autem Bonziorum apud Sinas nomen ac genus vulgò invisum & infame: licet suis flagitiis speciosam ementitæ pietatis larvam obtendant, ac populo sæpe fucum faciant. Visum igitur est illam vestem, quæ tot in Bonziis scelera teget, abjicere: cumque jam publica omnium voce Litterati Magistrique nuncuparentur, Litteratorum insignia & habitum induere. Togam nempe talem, laxis & patentibus manicis, cæruleo colore subnigro, limbo lato ejusdem coloris at paulò vividioris prætextam: cingulum vesti assutum, pendentibus fimbriis & ad pedes defluentibus: pedum crurumque tegmen certis distinctum, quæ propriae sunt Litteratorum, notis. Placuit Valignano consilium, placuit Clementi Summo Pontifici: quem, Riccii litteris admonitus Aquaviva super ea re consuluit. Et ipsi Deo placuisse indicio est, quod nullam Sociis, ignotis & advenis hominibus, licentiam intenderint Litterati: qui ne Sinenfibus quidem suis vestem ejusmodi, nisi ægrè ac post multiplex severumque examen, velut probatæ testimonium eruditionis, largiuntur. Sanè Riccium, tanquam Sinicæ omnis doctrinæ, ut erat, magistrum perfectissimum suspiciebant ac venerabantur: quippe capacissimo ingenio complexus erat vernaculam Sinarum eruditionem, cujus ipsi vix unam aliquam partem multis annis, & improbo labore, poterant adipisci. Ne tamen a professione religio-

sa nomen Litteratorum, & vestis diffideret, se Sociosque legis divinæ Magistros dici voluit.

Dum in Imperio Sinenſi religio paulatim radicitur & coaleſcit, novum illi ſubſidium eſt comparatum, in collegio Macaenſi anno MDXCV. Relictum fuerat aliquantum nummorum à Gaſpare Viega, mercatore Luſitano, qui tranquillum ætati jam provectæ ſecefſum quærens, & rerum humanarum pertæſus, admitti poſtulavit in Goanum tirocinium, de quo jam optimè fuerat meritus; in eoque poſt edita religioſa vota ſanctè decedens * partem aliquam opum in commercio Sinenſi quæſitarum legavit Sinicæ Miſſioni. Viſum eſt non poſſe melius collocari piam liberalitatem quam in collegio Macai ponendo, unde tanta in Sinicam Miſſionem utilitas erat aliquando profectura. Eſt Macaum, ſive Amacuum, emporium celebre in exigua inſula, inter inſulas Formoſam ab ortu, & Hayniam ab occaſu, junctæ littori ad Auſtrum Sinico, & provinciæ Quantuniæ. In hac ſuas mercium apothecæ initio collocarant Luſitani: mox, cum frequentes eò convenirent, urbs ædificari paulatim cœpta. Collegium ut in ea conderetur, Patres Japoniæ cultores, anno MDXCII. congregati, poſtulandum a Generali Præpoſito cenſuerant: nec differendum opus credidit Viſitator Valignanus, nihil dubitans quin Aquaviva quod petebatur annueret: jamque ad faſtigium fabrica ſurgebat, probante Rege Catholico, & cenſum ab Indiæ Prorege ſtatim perſolvendum aſſignante; cum aliquis operi feliciter inchoato moram injecit, metuens videlicet ne Caſtellanorum commodis collegium hoc officeret. Aquaviva, ut communis omnium nationum pater, opus approbavit, & quoad vixit fertilem Indiæ provinciæ campum, ab Italis, Hiſpanis, Belgis, principio excultum & ornatum, non uni tantum nationi, ſed aliis etiam omnibus patère voluit.

Dum armamentarium hoc, ut ita dicam, condebat, unde promerentur arma erroribus & vitiis Sinenſium debellandis, P. Matthæus Riccius, quem anno MDXCII. hærentem in oppido Quantuniæ provinciæ Xaocea vidimus, omnem captabat occaſionem in provincias interiores & ipſam urbem regiam penetrandi. Jam ſpes aſſuſerat aliqua è promiſſis & humanitate Guanciummini, ut modò narratum eſt *: ſed longiorem ejus moram in patria Riccius non ferens, & Pekinum ſubire quamprimum exoptans, oblatam illuc citius, ut quidem ſperabat, perveniendi viam haud cunctanter arripuit. Quæ licet non eum, quem ipſe cupiebat, exitum, alium tamen haud poenitendum habuit. Tranſibat anno MDXCV. Xaoceâ, Pekinenſem ad regiam evocatus Scie-Lous, Mandarinus inſignis, at calamitate domeſtica mœſtiſſimus. Illi filius erat ætate florens, indole præſtans, verum ingenio mediocri, ne dicam tardo: qui non ita pridem ad Litteratorum aſpirans gradum (magnus inter Sinenſes habetur hic honos) publico in examine repulſam cum ignominia tulerat. Inuſtum filio & familiæ clariffimæ dedecus Mandarinum aſſecerat ſummo mœrore. Hunc filii morbus cumulaverat, quo non corporis tantum, ſed mentis etiam ſanitatē adoleſcens amiſerat; hoc felix uno, quod ſenſum infelicitatis ſuæ perdidiffet. Parens à Riccio, cujus ſcientiam celebrari audiebat, curari poſſe filium ratus, magnis illum onerat promiſſis: invitatque ut iter ſecum intendere Pekinum uſque velit, ibi remedia juvenis morbo, quæ tempus & res poſceret, commodius allaturus. Riccio nihil poterat optatius accidere: ſpondet ſe, compoſitis quibuſdam negotiis domeſticis, ſtatim ſecuturum. Igitur Xaocea diſcedens, ubi P. Lazarum Caraneum Societatis domicilio præfecit, Mandarinum lætus aſſequitur Nankami, per quam urbem iter Pekinum eſt. Sed mutatum planè reperit, & apertè profitentem neque ſibi fas, neque Riccio tutum eſſe, hominem exterum in regiam urbem induci: proinde omiſſerit iſtud conſilium, Xaoceam rediret; aut ſi contendere ulterius haberet in animo, Nankamum pergeret, civitatem amplam, Litteratis refertam, & Kiamſiæ provinciæ principem: ibi ſe per amicos effecturum ut conſiſtere tuto poſſet.

Riccio, quamquam præclara ſpe depulſus, lucro tamen apponens quantumcumque in via tam ſalebrosa progrediretur, accepit conditionem, & Nankamum unâ cum Scie-Loo contendit. Naviculis utuntur ferè Sinæ ad conſicienda itinera paulo longiora, propter copiam & opportunitatem fluviorum & canalium.

Ven-

6.
Macaenſe col-
legium.

7.
Nova ſpes ob-
lata P. Mat. Ric-
cio.

* Suprà. §. III.

Ventum est ad locum difficilem, in quo constrictus inter cautes fluvius impetu præceps ferebatur. Ibi navis ornatissima, quæ uxorem liberosque Scie-Loi vehabat, latentibus impacta saxi frangitur. Inter muliebres ejulatus & nautarum clamores accurrit cum suo lembo Riccius, & in eum conjugem filiosque Mandarinum salvos accipit: ipse in minorem defilit scapham; laudante Mandarinum, & amplissimas pro tanto beneficio gratias agente. Sed quam aliis vitam servaverat, propemodum amisit. Coortus typhon (venti ferocioris nomen est) currentem placido flumine scapham evertit. Joannes Barradas, Sinicus adolescens, quem sibi comitem Xaoceâ proficiscens Riccius adsciverat, hauritur fluctibus: ipsemet vix imo emersus gurgite, arreptis rudentibus evadit in malum aquis exstantem: cui aliquandiu insidens ad littus crepit, amissis aut corruptis sarcinulis.

Clade utcumque reparata, vicinam urbem subeunt, & optato portu tandem potiuntur. Non mitior fluvio portus fuit. Nocturna tempestas navigia quassavit, attrivit, dissipavit; obstupescente & percusso tot cladibus Mandarinum. Quarum causam dum scrutatur, venit in mentem hunc Europæum, quem secum duceres, ab iratis forte Superis vexatum, ultrices scelerum pœnas dependere. Quamobrem ab illo segregare se quamprimum, & itinere terrestri deinceps Pekinum tendere constituit; vixque passus est suos aliquot famulos cum Riccio iter Nankinum usque persequi. Urbem hanc amplissimam pridie Kalendas Junias anni MDXCV. ingressus, omnia intuta & periculosa deprehendit. Mandarinum, quo neminem sibi amioem putabat, convenit. Excipitur humaniter: & Ut intelligas quantum tua causa velim, quam tuis rebus amicè consulam, inquit Mandarinus, auctor tibi sum ut hinc maturè, imo ex Imperii finibus discedas. Riccium respondere aliquid parantem deserit, ejusque hospitem evocatum castigat verbis atrocibus, quoddam hominem peregrinum excepisset. Riccius graviora metuens Nankinum profugit. Inde quoque Xaoceam abire cogitabat: sed hominis ignoti oblata per quietem species erexit marentem, & fugam inhibuit. Unum aliquem è celestibus genis crediderim, quibus regnoram & populorum cura credita: vel ipsum angelorum regem Christum, qui jacentem ac propè desperantem famulum consolari voluerit. Videbatur sibi Riccius ad ejus pedes provolvi stans, & operum suppliciter implorare: evigilansque, discusso somno, lacrymis perfusum se suis, at simul tanta spe gaudioque delibutum sensit, ut responsura votis omnia, quidquid secus videretur, minimè dubitaret.

§. IV.
SOCIETATIS DOMUS
NANKAMI
POSITA.

NON vanum fuisse omen statim Nankami apparuit. Nankamum, sive Nanganum, pulcherrima civitas, litteratorum patria dici potest: abundat enim eruditio, ac studiosis, qui opum ac voluptatum obliti, toti sunt in litteris perdiscendis. Scholæ passim visuntur & gymnasia, doctarum emporia mercium. Ex hoc scientiarum Seminario crebri prodeunt Mandarinum: qui ad summos deinde honores profecti, monumenta suæ dignitatis in hac urbe, tanquam alumna & nutricula bonarum artium, cui suos honores proinde acceptos referunt, existare gaudent: quibus ornamentis fora, viæ, compita mirum in modum insignita lucent. Ad eandem veluti sapientiæ arcem confluunt viri principes tam multi, ut eorum ædes superbissimæ multo maximam urbis partem occupent. Nec pietatis curam minor civibus est quam eruditionis; si qua pietas verum Numen ignorantibus esse potest. Summa in delubris reverentia: otii, libidinis, & graviorum flagitiorum vix nota nomina; quæ litteratorum vulgo beata fors est. Guamkileus erat ibi medicus nobilis, & primoribus civitatis acceptissimus; cui Riccium Mandarinum Scie-Lous enisè commendaverat. Hunc, post conciliatum multa prece domi per aliquot dies Numen, visendum præ ceteris putavit Riccius; cujus commendatione uteretur; ne sibi sua peregrinitas fraudi & exitio foret. Guamkileus Riccium jam fama cognitum peramanter accepit. Auxit famam Patris præsentia, & sermo insigni conditus eruditione: quam admirans Guamkileus rumorem urbe tota spargit, venisse doctorem Europæum, qui Sinenfes litteras ipsis propè Sinenfibus melius calleret: qui arcana omnia naturæ ac religionis haberet explorata.

Excivit ea fama inclytum in paucis senem Cianteucium, oraculum civitatis, & ævi sui prodigium apud Sinenfes. Triginta conferipserat volumina; Mandarinorum

norum principes in discipulis suis numerabat: scholam habebat refertam auditoribus mille: quos à reliquis non eruditio tantum eximia, sed probitas, continentia, morumque gravitas facile distinguebant. Ille, ubi primum in Riccii conspectum venit, ubi nonnulla ex eo quaesivit reconditoris doctrinæ; sic ejus colloquio captus est, ut haberi ab eo in fratris numero ac loco voluerit; nomen ejus suis ediderit discipulis; doctrinam virtutemque, præco minime suspectus, extulerit. Proregem ea diu latere non poterant. Ardebat cupiditate Riccii cognoscendi, quem virum esse quantivis pretii audierat à Guamkileo. Hunc primo per Mandarinum, deinde per epistolam summa urbanitate conscriptam, invitat domum. Præsto fuit ad diem constitutam; & honore summo exceptus, Proregis expectationem non sustinuit modo, sed vicit: eo major visus, quo modestior. Discendentem rogavit Prorex quò tenderet. Cui Riccius, Xaoceam, inquit; etsi Socios ibi duos mihi carissimos, litteris & pietate præstantes, coeli gravitas extinxerit. Tu vero, subjecit ille, cur Xaoceam Nankamo præfers? cur illuc redis moriturus? Dei digitum Riccius hic esse sensit: &, Mihi profecto, retulit, nihil evenire jucundius potest, siquidem per te liceat, quàm in hoc litterarum domicilio commorari; tuæque consuetudine, si concedis, frui. At ego, subdidit Prorex, non concedo tantum, sed rogo precorque: dabis operam ut ad me sapius redeas, & eruditionis tuæ copiam indigenis prolixè facias. Gratias agit Riccius: & se, dum vivet, memorem fore beneficii pollicetur.

Tam inustatus honos à Prorege homini externo habitus totam civitatem commovit. Advolant Riccii domum magistratus certatim ac Mandarini: plebs obviam in plateas & vicus effunditur, visendi causa. Suspiciunt majestatem oris, & amplitudinem oculorum, quos ipsi hiantes modicè, ac semiapertos, habent: adhæc (sic enim ipse de se Riccius jocando narrat) barbam densò & fertili crine pectore tenuis promissam; cum Sinæ vulgo rarissimos & facile numerabiles, quasi aptatos mento, pilos gerant. Mirabantur alia sapientiores: mentis amplitudinem, tot capacem scientiarum & librorum; facundiam in explicandis vernaculo sermone rebus abditissimis; sagacitatem in evolvendis naturæ arcanis, & refellendis philosophiæ Sinicæ erroribus. Quos ille cum perspicuè coargueret, modestè addebat, Sinas, neglectis physicis, operam in philosophia morali & virtutum studio utilioreni posuisse: quo fiebat, ut & illius sapientiam suspicerent, & amarent comitatem. Sed nihil æque illos perculit, ac memoriæ vis, quam & naturæ beneficio excellentem, & artis industria exultant Riccius habebat. Id maxime in convivio patuit: in quo cum de Christianis sacris sermonem, velut aliud agens, iniecisset, eaque confirmaret ex ipsorum Sinensium libris, quorum locos plurimos, & bene longos expedite recitabat; hærebant admiratione defixi. Atqui, subjecit Riccius, dabo jam aliquid, quod magis admiremini. Appellate Sinicas voces quasque libuerit, sono & significatione diversas, quam multas placuerit; reddam & recitabo statim memoriter universas. Visa res omnibus incredibilis. Centum patrios characteres, sono, figura, significatione discrepantes in schedam conjiciunt: quam levi percurrens oculo Riccius, statim memoriter singulos ordine, ut erant exarati, recitavit. Quin, easdem voces, inquit, dabo ab ultima sursum, versus progrediens ad primam. Tum, Placet ordiar à vicesima, quadragesima, octogesima? ordinem invertite ad arbitrium, mihi perinde erit. His auditis Europæum doctorem, quasi mirificum hominem, & de cælo lapsum, intuebantur, ignari ejus artis, quæ memoriæ vim à natura institam juvat ac perficit: quam artem in Europa pridem cognitam, & certis etiam præceptis notatam, summus dicendi magister Fabius * explicat. Hoc usus artificio Riccii librorum Sinensium insigniores locos, maximè qui de moribus agerent, infixerat animo, & pro re nata depromebar: nec alia ratione religionem veram facilis instillavit auribus Litteratorum, aut in eorum familiaritatem se feliciter insinnavit: quorum plurimi, quamvis majores natu, & pollentes auctoritate, illius discipulos ultro se professi sunt.

APERTUM ingens ostium Evangelio patebat; cursum rei Christianæ retardavit belli rumor, quod Japoniæ rex Taicosama propediem Sinis illaturus dicebatur. Ubique metus ab hostibus, suspiciones de exteris, abalienatio à Patribus.

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

V u u

Forte

8.

P. Matthæus Riccius Litterarum Sinensibus admirationem movet.

* Quintilian. Lib. XI. cap. 2.

S. V.

TERTIA SOCIETATIS IN IMPERIO SINENSI PERSECUTIO.

Fortē accidit ut juvenes quidam convenirent anno MDXCVI. in fanum Bonziorum, domui nostræ proximum. Ibi pergræcati, ludo per noctem indulserant. Id enim in Bonziorum templis facere non modo fas, sed religiosum etiam ac pium putant. Quare cuilibet adeunti patere debent. Vino jam graves in sacram adem nostram impetum faciunt. Obstruam nacti, fores vestibus, fenestras saxis incessunt. Vicinis accurrentibus rixa conferitur, in qua juvenum unus leve vulnus accipit. Illo in gemitus erumpente, ceteri diffugientes litem prima luce Europæis advenis intendunt, a quibus indignum in morem se habitos, ac vulneratos etiam, querebantur. Ab uno alterove de primis magistratibus repulsi, querelas ad tertium tribunal deferunt. Ei præerat urbani præfecti vicarius, P. Cataneo infensus, a quo nescio quid munusculi non obtinuerat. Ergo, immisis domum nostram licitoribus, arreptos Patrem Sebastianum Fernandem & servulum spoliari cædique immanissimè jubet. Addit pœnæ ignominiam, & inserto cervicibus ferro collari, spectandos ridendosque producit in publicum. Cataneus domo tunc aberat. Cognita re properat ad judicem, vixque P. Sebastianum infami ereptum palo recipit. Mox ædiculam nostram, quia fani Bonziani speciem præferebat, magna ex parte diruit: ornamenta Europæa, tabulas geographicas, & alia id genus, quæ curiositatem indigenarum undique confluentium prolectabant, detrahit: ipse in domus angulo abditus, adeuntes, ut solebant, visendi causa plurimos rejicit; negans ibi se posse diutius consistere, ubi nihil ab impotentia juvenum & ebrietate tutum esset: ac peropportune refrixerat belli Japonici metus, quo discusso, extincta propemodum Societatis amicorum studia revixerant. Pervasis urbem rumor. Exclamant omnes indignum facinus: violatos præter jus fasque advenas bene de civitate meritos. Perculit præfecti vicarium publica vox & objurgatio, timentem scilicet ne à superiori magistratu, Xaoceam propediem venturo, recognoscere causa, & ipse gradu moveretur. Alium terrorem casus addidit. Xaoceam accesserant è vicina provincia nonnulli proceres. Enixè rogarunt ut artis Europæa monumenta, quæ fama ubique celebrabat, inspicere liceret. Domum nostram directam foedè nudatamque conspiciunt. Causa cognita, graviter in vicarium invehuntur: qui pejora metuens P. Cataneum adiit supplex, & rescisso priori decreto, aliud Patribus longe honorificentissimum, litteris majoribus conscriptum, desigi pro foribus ipsorum jussit. Domum interiorem Cataneus reparavit, & ornamenta quæ detraxerat, suo loco reposuit. Quo tempore Nankamense pariter domicilium ornavit Riccius, & auxit. Locum hoc titulo signavit: *Domus ubi habentur conciones*. Quominus templi nomen præfigeret, in causa fuit nondum satis confirmata novæ religionis auctoritas; atque adeo metus, ne templum aliquod Bonziorum esse putaretur. Omnem enim cum Bonziis rei cujuslibet communionem ac similitudinem sedulo fugiebat, ob eas, de quibus mentio jam facta, rationes. Eidem aulae ac domicilio nomen aliud etiam impositum ab indigenis. *Domus advenarum qui non mentiuntur*. Origo nominis lepida, Mentiri nec turpe apud Sinas, nec rarum. Hanc artem docentur à teneris, & ingenii laus est non vulgaris, eleganter ac scitè mentiri. Veniam hanc ultro petunt, vicissimque dant. Incitatus aliquando Riccius, ut nescio quid molestiæ officioso mendacio excuteret, negavit se facturum: imò tantum vel levissimi mendacii odium præ se tulit, ut admirationem moveret omnibus, nec pauci haud alio ipsum afficerent nomine, quam *Doctōris qui non mentitur*.

Supra. n. s.

9.
Riccius Pekinum obiter ingressus reveri Nankinum cogitur.

Ecce autem Mandarinus Guanciumminus, olim pollicitus fore ut Pekinum Riccio aperiret, in hanc regiam urbem ex Haynania insula se referebat, ad natalem Imperatoris celebrandum, anno MDXCVIII. Promissi admonitus, enimvero memorem se respondit esse; nec recusare quin secum Nankinum Riccius veniret, Pekinum inde petiturus. Cataneus ut sibi liceret Riccium comitari, obtinuit. Relicti sunt P. Nicolaus Longobardus, nuper Macao advectus, qui Xaoceam stationis; P. Joannes Soerius, qui Nankamensis, curam gererent. Profecti Riccius & Cataneus, duce Guanciummino & auspice, Nankinum perveniunt. Hic rerum inexpectata facies illos a summa spe ac læticia pænè in desperationem conjecit. Novus Japonici belli terror omnia miscuerat. Nankinum præsertim, ob Japōnia

niæ viciniam, armorum fragore circumsonabat. Ut quisque subibat alienigena, hostis & Japona putabatur. Nemo Riccius ejusque socios tecto, nemo accipere mensa, ne Guanciumminus quidem, sustinuit. In navicula, qua decesserant, latitabant interdium; noctu paululum in vicinos pagos proropebant.

Nec tamen defuit Riccio tot in arumnis constantia, nec Mandarinis fides, eo illustrior, quo inter Sinas erga externos rarior. Perducendi Pekinum Ricci provinciam periculosa in se recepit: litteras commendatitias ab amicis efflagitavit, per quas in aulam Pekinensem aditus illi patere posset: nullus qui externum hominem, in tanta temporum difficultate, Imperatori commendare auderet, est inventus. Affirmavit etiam Nankini Prorex, veteri amicitia cum Guanciummino conjunctissimus, magnum fore si Riccius Pekinum teneret aliquando, aut inde incolumis abscederet. Videbat hoc ipsum Guanciumminus, neque deterritus tamen est, quin promissa præstaret. Riccius Pekini sistit; excipit domi suæ; eunuchus potentissimo commendat, per quem Ricci nomen indicaretur Imperatori, & spectandorum, quæ deferebat ex intima Europa, munerum cupiditas accenderetur. Ostendi primum illa sibi voluit eunuchus, ne minutis fortasse rebus pretium justo majus faceret, commendatione sua. Ostensa sunt. Laudare qui aderant. Eunuchus singula contemptim despectans, a Riccio quæsitum, ut jactabatur, afferret artem auri conficiendi. Hoc primum & palmarium esse munus. Negante illo, & artem stolidam ridente, subjecit, egregia quidem esse munera, sed alienum iis offerendis tempus videri. Ubi nullam in potentis eunuchi promissis & patrocinio relictam spem Guanciumminus vidit, mærentem Riccius consolatus, ei suadet ut Nankinum secum repetat, ibique tempora gerenda rei commodiora præstolentur. Nankinum referre se Riccius trepidabat, ubi omnia bellico tumultu & odio exterorum flagrare deprehenderat. Dum anxie omnia circumspicit, ad Chiutaisum, quem multis magnisque non fictæ amicitie pignoribus devinctum habebat, divertere statuit, in oppidum Sucheum; ibique novam moliri stationem. Invitabat urbis opportunitas, quæ tanto civium lectissimorum numero frequentatur, tam fertili & amœno sita loco est, ut *terra Paradisus* à Sinensibus nuncupetur. Ut illud nomen verius obtineret, parabat Riccius sedem Evangelii stabilem in ea collocare. Opus erat perscripta Nankinensis magistratus auctoritate, litterisque commendatitiis ad Sucheensem præfectum. Ergo cum bona Guanciummini venia Chiutaisum convenit Suchei, & unâ cum illo iter Nankinum instituit. Urbem ingreditur anno MDXCIX. ineunte, inter spem & metum suspensus, idque unum agitans ut necessarium ad ponendam Suchei domum diploma imperaret: Nankini enim confidere ne cogitabat quidem. Vehementer obstupuit cum mutatam hujus urbis amplissimæ faciem vidit. Epulis, ludis, cantu fremebant viæ: fugati Japones, extinctus Taicosama, reddita pax rebus & tranquillitas, omnium animos a timore ad hilaritatem traduxerant: neque odiosa jam aut suspecta cujusquam peregrinitas erat, excludente dissidentiam securitate. Utendum enimvero tempore arbitratus Riccius, Sucheum omittit, atque ad ponendum Nankini domicilium totis viribus incumbere decrevit.

Est Nankinum civitas Imperii Sinensis uno Pekino minor, si dignitatem spectes; major, si capita civium numeres. Olim regum sedes, præsertim hyeme, quia civitas decem admodum gradibus à Tropico distans, calidiore cælo utitur; & ipsa vox Nankinum Aulam Australem sonat; ut Pekinum, Septentrionalem. Visuntur adhuc vestigia murorum trium, quibus pridem cingebatur. Postremus & extremus, millia passuum quadraginta, teste Riccio, complectebatur. Interior murus plebem separabat a proceribus. Intimus ac tertius regiam ambiabat. Quamvis autem, post aulam Pekinum translata, aliquid Nankino decesserit è veteri splendore, nihilominus adhuc velut Imperii centrum est, quo derivatur & confluit quidquid reliquæ provinciæ habent elegantie ac deliciarum. Huc Mandarinum magistratibus perfuncti se recipiunt: huc eruditi, propter bibliothecarum copiam, & vernaculi sermonis purissimum nitorem: huc artifices ob artium decus, quibus illic honor eximius nec sterilis est. Celebritatem urbis auget maris vicinia: tum opportunitas fluvii Kiami, cui est imposta, omnium qui Sinam alluunt,

FO.
Nankini con-
spectus. Turris
Porcellana, &c.

maximi. Inter ædificia plurima & splendidissima civitatis amplissima tum sacra, tum profana, visitur prope ipsam urbem templum memorabile: ædem Gracitudinis (liceat hanc facere vocem) indigenæ appellant. A trecentis annis conditum ab Imperatore Yomlo Sinarum annales tradunt. Fundamentorum suprema pars, cui ædificii moles incumbit, constat è marmore. Fenestra in templo nulla. Portæ tres per amplæ, & orienti soli obversæ: inde lux templo. Pars ejus præcipua est turre ingens octogona. Illam exterior murus itidem octogonus ambit, decem pedibus fermè tribus ab ea disjunctus. Ipsa turris in contignationes novem attollitur, quarum inferior quælibet superiorem vincit amplitudine; ac loricâ, seu projecturâ, tribus pedibus latâ, tectoque suo coopertâ, in modum porticus cingitur. Muri, quorum crassitudo in imo duodenum est pedum, octonum in summo, toti sunt in crustati porcellana. Hinc Turris Porcellanæ vulgo appellatur. Interior contignationum facies distinguitur variis ornamentis, ac præcipuè sigillis inauratis, muro aptè inclusis, tanquam opere tessellato. In fastigio exstat altus triginta pedes malus: circa quem, longius tamen undique ab ipso malo distans, voluitur in spiram, lata è ferro lamina. In hujus laminæ ac mali apice stat globus inauratus immanis, ac turrim totam terminat. In vicino colle specula quondam astris observandis erat exstructa, & collocata in aggere complanato machinæ. Sed illæ Pekinum fuerunt deportatæ. Celebrantur etiam Nankinenses campanæ ob inusitatam molem, quæ ædem, ubi erant inclusæ, traxit in præceps: ipsæ jacent humi, monumentum antiquæ magnificentiæ. Unam videre est in via, per quam itur à domicilio Societatis, ad collem & speculam veterem astronomicam, cujus modo facta mentio. Alta est undecim pedes: diametros septenis longa est: ipse ambitus duos & viginti colligit. Figura magis ad cylindrum accedit, quam ad conum. Apex de industria perforatus est, ad soni, ut quidem credunt, vim augendam. Quatuor ejusmodi Nankini visebantur. Majores aliæ septem Pekini sunt, singulæ pendunt librarum centum viginti millia. Oris diametros pedum tredecim est; circuitus, quadraginta; altitudo duodecim. Hæc fidem superarent, nisi P. Verbiestus, cui merito credi potest, eas ipsemet accurate dimensus esset.

§. VI.
DOMUS SOCIETATIS NANKINI MIRO MODO PARTA.

CHIUTAIUS Riccium summopere hortabatur ut Nankini consisteret. Guanciumminus manendi facultatem, ac domum inemptam pariter offerebat, sed lautiorē, quàm ut illam accipere modestia Riccii posset: cui præterea placebat emere domum de suo, ut esset possessio firmitior, & ad diurnitatem stabilior. Occurrebat una maximè idonea, & multorum hominum capax. Eam sibi magistratus ipse construxerat, in edito & percommodo urbis loco. Sed possessionem illius occupaverant hospites Tartarei, dira Lemurum cohors. Formæ horribiles conspiciantur per tenebras: ululabant monstra ferarum immania: discurrebant nocturni hostes, at invisi: raptabant obvios; plagas etiam imponebant: neque ausus quisquam fuerat ibi pernoctare, quin pessime multatus abiisset. Stabant igitur jampridem ædes amplæ inutiles & vacuæ: nullus reperiebatur, qui vel infimo pretio emeret: nullus qui donatas gratis acciperet. Nec deerant qui eas Riccio per jocum proponerent, risum captantes ex eo, quod imminere ipsi putabant, si dirum contingeret limen, infortunio. At ille terrores istos contemnens, & præpotentis Dei consilium introspiciens, qui domum ab hostibus suis conditam, & per suos hostes servatam, suis cultoribus destinasset, magistratum adit. Mandarinus, licet emptore tandem reperto gauderet; tamen, ut erat vit probus, vitium ædium candide aperit, ac periculum exponit, cujus ipse testis locuples erat. Riccius Deum colere se renunciat, cujus nutum Inferi pariter ac Superi perhorrescerent: se illo duce ingressurum ædes, & quietas possessurum. Miratus confidentiam Mandarinus ædes vili vendit; illasque, confectis rite tabulis, Riccio Patribusque venturis in perpetuum possidendas tradit: quod ab nullo hæcenus Sinenfi magistratu impetrari potuerat. Subit emptam domum Riccius exeunte Aprili anni MDXCIX. Adhibet statim Ecclesiæ preces, contra vim Avernalem usurpari solitas: lustrat omnem locum aqua consecrata. Diffugiunt feræ larvæ: pax, somnus, tranquillitas summa, succedunt. Populus accurrens orta luce, ubi rem accepit, obstupuit scilicet, ac domitorem Erebi Deum Christiano.

stianorum agnovit. Manavit longe fama, & magnam legi divinæ conciliavit gratiam, magnam Riccio auctoritatem: qui non contentus vim Tartaream ædibus propulsaſſe, niſi eandem a civium animabus prohiberet, ſtatim inferre ſermonem de religione, & inſitas genti opiniones cœpit pervellere. Concurrebant ad eum diſcendi cauſa ſplendidiffimi quique genere, litteris, dignitate. Adfuerunt in iis aliquando mirifici doctores duo, ex eruditorum ſecta, qui tradebant artem immortalitatis parandæ; & hanc mercem, ſane pretioſam, penes ſe eſſe gloriabantur. Alter centum annos, alter etiam trecentos ſe confeciſſe jactabat, & a ſenio juvenilem in ætatem, quam ipſo vultu rugis canisque vacuo præferbat, arte ſua revocatum. Negabant ambo Riccium, niſi multis antea ſeculis vixiſſet, hanc ſcientiæ vim parare unquam potuiſſe. Eos Riccius nullo negotio adduxit ut ſe non ita pridem natos, ac nullos antea fuiſſe, faterentur. Sed miraculo fuit Licicus quidam ſenex, ſanctimonix & eruditionis fama clarus: qui, præter primores Imperii, neminem ad ſalutandum admittebat, ac ne illos quidem reſalutare aut convenire dignabatur. Is talis ac tantus perlecto, quem Riccius conſcripſerat, libro; auditis quæ de Deo, animæ immortalitate, mundi natalibus, diſſerebat, ejus diſcipulus fieri non erubuit; cum muneribus, & editis in ejus honorem carminibus honeſtavit. Ergo Riccium, tanquam divinum hominem, Sina omnis ſuſcepit. Pendebant ab ore nunc explicantis arcanas naturæ leges, nunc legis divinæ penetralia referantis, & eo potiſſimum ſpectantis ut unius Dei cognitionem caligantibus oculis ingereret.

PLURIMUM ad eam rem utebatur auctoritate & ſcriptis antiquiſſimi Sinarum philoſophi Confucii, a quo docebat Numinis unius agnitam demonſtratanque naturam, multo ante quam inanes fabulas popularis error invexiſſet. Hic ille Confucius eſt, Sinenſium doctor & oraculum: qui tamen niſi nunquam regnaverit, dici tamen poteſt Imperium Sinicum, ipſoſque adeo Imperatores, & rex iſſe conſiliis, dum viveret, & poſt obitum ſapientibus, quos reliquit, libris eſſat iſſe gubernare. Erunt fortæſſe qui aveant hominem propius diſtinctiusque cognoscere. Natus eſt in provincia Xantunia, anno quingentimo quinquageſimo primo ante Chriſti ortum. Paternum genus referebat ad Imperatorem Tyium, vigeſimum ſeptimum ſecundæ ſtirpis: tantumque familiæ ſuæ, quamvis per ſe clariſſimæ, ſplendorem addidit, ut poſt annorum duo millia floreat adhuc, & primus inter Sinenſes familias nobilitatis gradus Confucii poſteris, omnium ſuffragio, tribuatur. Elucebat ſenilis in puero prudentia. Prius, ut ita dicam, homo quam ceteri homines, id eſt, rationis conſiliiſque particeps, viſus eſt. Ludos, crepundia & alia pueritiæ oblectamenta, velut inferiora ſe, deſpexit. Oris gravitas, maturitas ſermonis, adverſus parentes obſervantia, pietas erga ſupremum cœli Dominum, cui & gratias agere & preces adhibere cernebatur; jam tum præmonſtrabant quos olim & quantus futurus eſſet. Ubi primum exceſſit ex ephebis, in antiquorum dicta factaque, tanquam in vitæ ſpeculum, diligenter inſpexit. Hoc antiquitatis amore ac patrocinio propemodum adductus eſt in vitæ diſcrimen. Querebatur in eruditorum conſeſſu Mandarinus, è primo Litteratorum ordine, de veterum obſcuritate librorum; quos ea de cauſa moleſtos & inutiles diſcitabat. Auſus eſt Confucius, licet annos tantum ſexdecim natus, ſuſcipere deſenſionem antiquitatis: & Quos incuſas libri, ait, myſteria continent, quæ ſolis patere debent eruditis. Ab his adytis profanum vulgus arcetur, ut arcana ſuſpiciat quæ non intelligit, & eruditorum ſententiam exquirat. Sentiant oportet rudes & imperiti ſe in multis caligare, ut a peritioribus lucem mutuentur; & hoc quaſi vinculo mentes infimæ cum ſummis devinciuntur. Si omnes familiæ florent opibus & gloriâ, quis obedienciæ in Imperio locus eſſet? Haud paulo plus detrimenti publica res caperet, ſi omnium ingeniorum æqua ſors & opulentiæ doctrinæ foret. Nuper ita mecum, uti tu modo, loquebatur neſcio quis è ſece vulgi; nec miror: ſed eodem te, ac mediæſtinum, uti ſermone, id vero vehementer & jure demiror. Pupugit oratio ſapiens doctorem ſuperbum, & pudore ultionem ſtimulante, puerum à famulis malè verbis verberibusque accipi juſſerat. Sed monitus Imperator impotentiam hominis compelſcuit.

S. VII.

CONFUCIUS SINA-
RUM PHILO-
SOPHUS.

Anno

Anno ætatis XX. Confucius duxit uxorem, quæ unica illi fuit: ex ea suscepit filium, & egregiis præceptis ac moribus informavit. Neque vero contentus domesticâ disciplina recte ac prudenter instituenda, palam docere est aggressus quæ diu multumque didicerat. Singulis tunc provinciis præerant reguli; quas legibus suis moribusque, sæpe non optimis, corrumpebant. Nec levem Imperatori metum incutiebant aliquando; cui sic erant obnoxii & vestigales, ut jugum non raro excuterent. Tum autem dissidebant inter se ut plurimum, & aliis alii arma inferebant. Confucio persuasum erat, constare pacem Imperio ac tranquillitatem non posse (quam esse tamen optimæ administrationis metam statuebat) nisi à voluptatibus, ambitione, iniustitia, ceterisque vitiorum pestibus purgarentur isti reguli. Singulos adire decrevit, & eorum cupiditatibus docendo monendoque frenum injicere. In quo non parum profecit, exemplo vitæ magis quàm sermone.

II.
Docere incipit,
ac magistratus
varios gerit.

Spektata doctoris probitas, & adversus gratiam æque ac odium munita, pondus ingens ejus verbis addebat. Variis in locis magistratus gessit: qui licet ejus virtuti & generi ultro deferrentur, non admittebantur ab eo tamen, nisi publicæ utilitatis studio, & spe propagandæ doctrinæ suæ. Quæ si spes eum falleret, magistratu se abdicabat. Hujus rei cum aliàs sæpe, tum vero ætatis anno LV. illustre documentum dedit. Cum enim in regno Lù munere publico fungeretur, tribus mensibus, quibus illud gessit, sic immutavit omnem provinciam, ut ipsa se non agnosceret. Offendit vicinos regulos tanta lux, & oculos tenebris suis gaudentes male præstrinxit. Subiit metus ne Rex Lù, si pergeret audire Confucium, ad majorem quendam auctoritatis & potentia gradum evaderet, quo potitus jugum vicinis Principibus imponeret. Quid enim Rege probo & sapiente fortius? Igitur, priusquam majores in virtute faceret progressus, illum depravare hoc pacto aggressi sunt. Puellas melioris formæ quàm pudicitia, miserunt per occasionem nescio cujus legationis, Regi Lù, ejusque proceribus; pulcrum & exitiale munus. Otio, choreis, ludo epulisque proceres cum Rege intenti, Confucium & præclara sapientia, cui cum voluptate non bene convenit, præcepta fastidire cœperunt. Ille ingemiscens urbe cessit, deposito sponte magistratu; nullum sibi ratus esse locum in eo regno posse, ubi rationi nullus esset. Inde in varias digressus provincias, sæpe difficiles & clausos aditus reperit. Horrebant aulici philosophum: Principum administri excludebant sapientem, & gubernandi peritum, ne solus Regis gratiam occuparet: populus, qui fere componitur ad mores Principis, ac sensuum illecebris commodisque vitæ ducitur, præconem austeræ virtutis respuebat. Definitus hunc in modum, insidiis etiam improborum appetitus, gravia discrimina capitis & egestatis adiit; invictus tamen semper, & constans sibi. Hæc virtus, hæc animi humana omnia despicientis excelstitas plerisque admirationem; nec paucis auscultandi studium & imitandi movit. Ex iis, qui se totos illi erudiendos fingendosque tradebant, alios jubebat in recte elegantisque scribendi, alios in disserendi, alios in bene dicendi, artem incumbere. Multos excolebat impensus, ut optimam reipublicæ gubernandæ formam animis penitus comprehenderent; quam deinde in procerum & Mandarinorum mentibus, tanquam sigillum, imprimerent. Interim hoc primum & palmare caput suæ disciplinæ alumnis præstitebat, ut se ipsi regerent; intelligentiam crebra meditatione collustrarent, animum virtutis amore à noxiis purgarent affectibus. Naturam, inquiebat, innocentem à Superis hausimus: hanc inscitia, perturbationes animi, exemplorum pravitas, postmodum corruperunt. In hoc rei cardo vertitur, ut ei pristina reddatur forma & innocentia. Eò redeundum, unde discessimus. Cœli Domino morem in omnibus gerite. Eandem aliis caritatem & benevolentiam, atque vobis ipsis, impertimini. Nolite sensibus duci. Imperet ratio, cetera pareant. Hanc si magistrum sequimini, nihil erit in vestris cogitationibus absconum, nihil temerarium in sermone, nihil perversum in vita. His informatos præceptionibus quingentos è suis discipulis, quorum tria millia numerabantur, dimisit in varias Imperii partes, & bellum vitiis inferre iussit. Ipse unius provincie finibus, ætate jam affecta, se continens, ita vitam omnem ad perfectæ rationis normam exigebat, ut non studeret probus videri, sed esse: quo uno

uno maxime virtus vera & genuina dignoscitur. Contemptus opum rerumque caducarum, sobrietas, temperantia, modestia; &, quæ sapientibus præcis defuit humilitas, nonnullis persuasere haudquaquam hunc est rationis. communi schola philosophum produisse: sed certo Numinis consilio datum, qui tenebras Orientis doctrinâ exemploque discuteret. Illum falsa numina coluisse nemo, etiam eorum qui cultum illis adhibent in Sina, dicere unquam est ausus: ab atheorum vero dementia quam longe non ipse tantum, sed præca Sinarum ætas omnis, abfuerit, antiquissima Sinensium codicum & certissima monumenta declarant.

Confucio vitæ finem attulit non tam ætas ingravescens, & ad septuagesimum tertium usque annum producta; quàm conceptus est neglecta passim virtutemæror. Sæpe in hos erumpebat questus: *Corruit mons, sublimis machina concidit.* Innuebat excelsum illam virtutis quasi arcem, tot sumptibus a se ædificatam, jacere prope funditus everfam. Doctrinam, inquiebat, nostram Reges aspernantur. Prodesse jam orbi nihil possum: migrandum terris est. Hæc dicentem lethargus oppressit, quo post septimum diem, inter discipulorum complexus & lacrymas, extinctus est. Venerari, ut virum eximie sapientem ac probum, Sina perrexit in hunc usque diem. Illi ab Imperatoribus posita fuerunt singulis in provinciis basilicæ, in quas convenire docti solent, honores magistro, quos memor & gratus animus imperat, habituri. Symbolum ejus hieroglyphicum ibis est, ciconiæ genus: cujus volucris nota in parentes (liceat hoc uti verbo) pietas: quam virtutem Confucius impense commendabat. Hinc eadem avis ab Imperatoribus in symboli gentilitii partem adscita: quamvis imperatoriam illam volucrem aliqui phœnicem esse velint. Exstant adhuc in Sinensium pluteis ejus archetypæ imagines permultæ. Oris dignitas non magna: vultum etiam deformabat frontis tuberculum, quod ipse aliis interdum ostentabat humilitatis studio: caput modice obstipum, & amplum: oculi nigri & prægrandes: barba promissa: nasus sinus: gravis & modestus obtutus: sonora vox & plena: procerum corpus & bene constitutum.

MENTIS ejus imaginem ostendunt volumina quæ scripsit; sententiæ & morum præcepta quæ reliquit. Unus est Sinæ regulis, cinctus nobili epheborum elegantium choro, adeuntem ad se conspicuus, Quam vellem, inquit, commutare vultum hunc tuum posses, cum alicujus ex istis cincinnatis ore! Ego vero id nolim, retulit Confucius: nihil interest reipublicæ, formosus an deformis sis. Quid igitur interest? subjecit Rex. Illud maxime, ait Philosophus, ut omnia Imperii membra hunc inter se ordinem formamque teneant, ex qua optima gubernationis pulcherrima species efflorescit: deinde vero, ut privatus quilibet animum virtutibus ornare studeat, in quibus vera pulchritudo consistit.

Venerat in patriam, ut mortuæ matri justa persolveret. Triduum jejunos transegit; luctuque domestico perfunctus, ad solita se retulit munia. Visum isthuc levius est insigni cuidam Litterato. Ego, inquit ille, septem totos dies perstiti omnis cibi expers, in parentum obitu: tibi, quem omnis Sina intuetur tanquam exemplar sanctimonix, triduum satis fuit. Tum Confucius: Carimonix fuerunt à majoribus nostris definitæ certis limitibus, ut frenos injicerent aliorum inconsulto ardori, aliorum verò inertix stimulos adjicerent. Consistendum intra limites istos, ne aberremus. Est in virtute modus, sunt certi fines. Medium, si sapias, tene. Extrema vitium occupat. Gravius cum illo altercatus aliquando est vir nobilis, eique austriorem sapientiam objecit. Quin tu, inquiebat, avum tuum imitaris? (Fuerat avus Confucii magnum adeptus nomen commendatione non vulgari urbanæ ac politæ probitatis.) Quin ejus æmularis humanitatem? Nihil habebat viri virtus asperum, nihil atrox: tu tristis, subhorridus, ac pæne agrestis es. Sane, respondit Confucius, laudanda comitas avi mei & facilitas: neque ego personam istam suavem & urbanam non sumerem libentius, quàm tristem hanc & severam, si esset ratio temporum par. Incidit avi mei ætas in homines humanitate perpolitos, legibus gaudentes, contentos suo. Nunc aliis moribus vivitur. Corrupt animos licentia: magnos populo & proceribus ferocesque spiritus attulit belli feritas & protervia. Faciem aliam nunc sumat virtus oportet: accommodare se temporibus omnibus debet sapiens, ut omnibus profit.

Qui-

§. VIII.
EFFATA QUÆ-
DAM CONFUCII.

Quibusnam honores & magistratus mandari debeant, tetrarcham sic docuit. Ille Confucium exceperat splendide: discedentem rogavit nunquid vellet. Negavit Confucius sibi quidquam opus esse; sed habere se quod Regi daret. Quid id est? ait tetrarcha. Habeo, inquit, viros praestantes, quos regni tui gubernandi administratos & adjuutores sumas. Mihi vero pergratum feceris, ait regulus: isto munere me beabis. Unum cedo ex istis sapientibus administris. Dicam. Li-inus, agricolae filius, muneri quamlibet arduo ac difficili gerendo par est. Agricola filius! exclamat tetrarcha magno cum risu. Non suppetunt mihi magistratus & honores, quibus proceres & administratos meos ornem; & agricolam obrudis mihi? Confucius, sedata voce: Virtus generi ac fortunae addita non est. Imperii Sinici duo regna meminimus ab agricolis fundata: quid videret agricolam obtinere locum aliquem in tuo? Malos ex aula ministros haecenus habuisti, mihi crede, satis multos: nunc saltem unum, vel ex ipso rure, bonum pete. Non sufficiunt, inquis, tibi honores & munia publica, quae proceribus tuis divides: at, si virtus apud te sola praemium & laudem ferret, major tibi profecto dignitatum, quam dignorum foret copia. Cum pares negotiis & curis ingentibus viros nobilitas non subministrat, arcescendi sunt e populo, & in ordinem nobilitatis cooptandi.

Regem Ovei, de praesciendo copiis duce deliberantem, hortabatur ut huic muneri praeponeret centurionem egregiae probitatis & famae. Cunctabatur idcirco Rex, quod iste centurio, cum minoris Mandarinum munus in provincia gereret, ova duo rustico abstulisset. Imperare non debet, inquiebat, qui abusus imperio est. Laudo aequitatem tuam, Rex, ait Confucius: at simul Mandarinum modestiam & abstinentiam admiro, qui duo tantum ova surripuerit. Tam leve peccatum magnas in eo virtutes arguit. Periti Principis est sic adhibere suos ministros, ut faber lignarius trabes solet: quas ob aliquem navum non rejicit, si robustae cetera & integra sint: neque, auctore me, propter ova duo, ducem repudiabis, qui propter artis bellicae scientiam duo tibi regna comparare potest.

Idem Ovei Rex, de graviore aliquo negotio cum primariis regni administris, audiente Confucio, deliberans, verba fecit copiose admodum & ornate. Dicentem secuta est procerum, quos ad deliberandum acciverat, approbatio & assentator plausus. Dimisso coetu, Confucium Rex interrogavit, cequid illi placeret instituta deliberatio. Et Confucius; Equidem, Rex, deliberationem habitam non sensi. Egregie perorasti: orationem tuam totidem paene verbis repetiverem: proceres: quid sentires, non quid sentirent ipsi, dixere; cumque illos dimisisti, expectabam adhuc dum fieret initium deliberandi.

Paucis diebus interjectis, percontanti Regi quis populi esset de regni sui administratione sermo, respondit neminem de illa pejorem in partem loqui. Et id latro, subiecit Rex. Id vero nequaquam latari debes, retulit Philosophus. Pessimè cum aegroto agitur, qui depositus à medicis, ab iis audit belle se rem habere. Tunc enim bene regnum administrat Princeps, cum de peccatis in gubernando suis eadem libertate, quae de morbis, admoneri potest. Accidit aliàs, ut cum eodem Rege de sapientia differeret. Ea nihil esse pulchrius facile Rex fatebatur: sed perveniri ad illam negabat posse, nisi per iter obseptum sexcentis difficultatibus, quae vel audacissimos detererent. In edito & praerupto certe loco sita, inquit Confucius, sapientia est: nequaquam tamen iter ad illam consequendam perinde est arduum atque iactatur. Eundo complanatur & aperitur. Deinde rectum idem & uniusmodi est. Ad vitium ducunt ambages & labyrinthi, quorum facilis quidem ingressus, at progressus difficilis; exitus saepe nullus.

Permotus Confucii adhortationibus, & exemplis, reguli filium nuncium rebus humanis remittere decreverat; ejusque in disciplinam, abdicato principatu, se tradere. Ad illum ergo pergit, & hac oratione utitur. Sentio quantum in se molestiae ac laboris in eo vita genere, cui me nascendi fors addixit: excutere onus fastidiosum cogito, & eandem tecum vivendi viam inire, disjunctam a tumultu, & curarum ac perturbationis expertem. Intuitus paulisper adolescentem Confucius, Si te, inquit, otii & quietis cupidus movet, omittas consilium istud censeo. Nullum vitae genus labore vacat: neque ipsa virtus sine magno labore aut paratur,

paratur, aut retinetur. Regem te creavit natura: Rex esto sanè: hostes vincere labora, ne quid paternæ ditionis tibi pereat: sed magis te ipsum & cupiditates tuas vince, ne ipse pereas. Suis eundem Confucium filius mærens hunc in modum allocutus est: Operæ non parco, doctus & probus ut siam. Nullum legendi, scribendi, meditandi facio finem. Sed votis & contentioni fructus non responderet. Quem sapiens pater ita excepit: Labori parce interdum, aliquando cessa: plus promovebis. An quemquam illorum, qui longum iter pedibus conficiunt, vidisti unquam currentem? Sanctissimi quique & doctissimi duxerunt initium a rebus facilibus. Addidit successus animos, & robur ad superandas difficiliores: neque subito & ex tempore ad virtutis & doctrinæ apicem evolarunt. Id modo perface quod in manibus est: differ cetera. Qui omnia molitur die uno, nihil perducit ad exitum anno toto. Qui singula paulatim exequitur, ad extremum perficit omnia. Ad eundem fere modum exostulabat cum Confucio vir litterarum virtutisque studiosus, idemque illi amicissimus. Jam tot annos, aiebat, in excellentibus viris, quos vetusta celebrat ætas, imitandis consumpsi, neque dignum operæ pretium fecisse mihi videor. Si tantumdem studii collocassem in improborum vestigiis consecrandis, longius breviori tempore processissem. Cur virtutis via, quàm vitii, difficilior est? Istiuc vero, subdidit Confucius, minime mirum. Jacet humi vitium ac repit: virtus excelso in loco sedet. Labore opus ac tempore ut quisquam ascendat: idem momento cadit ac præcipitat. Sed ne te, quæso, deterreat insidiosa vitii facilitas. Neminem virtutis unquam pœnituit: omnes vitii serius ocyus, ac semper, pœnitent. Inde collige laboris plus in vitio, quam in virtute colenda esse. Brevis est, si quam habet virtus, difficultas: vitiorum sempiterna pœna & pœnitentia.

Piscator ferebat eductum recens ex aqua, & adhuc infixum hamo piscem. Hunc intuens Confucius ingemuit. Causam rogantibus: Videtis hunc piscem, inquit. Vivere diutius & aquis natalibus frui placidè poterat, nisi fallaci hamo male credidisset. Sed ratio tamen deerat, quæ cæcam ingluviem compesceret: excusanda credulitas. At, quis voluntariam mortalium cæcitatem excuset, quos rationis compotes, voluptatum & honorum cæca mendax decipit, ac virtute spoliat, quæ vita nobis potior esse debet? Tu vero felici fato natus es, Confucii sapientissime (sic illum Mandarinum, quos erudiebat, allocuti perhibentur) quem ad virtutis culmen præstans natura & institutio perduxerit: qui vitam culpæ omnis experem vivas. Nos, humi strati, & cupiditatibus malis præpediti, facere non possumus quin labamur quotidie sapius, ac peccemus. Vos vero, inquit ille, consolari potius noxæ leves & quotidiana, quàm deicere, debent. Cespitamus in multis omnes, & concidimus. Ruunt improbi & peccant, sed ferè semel: cadunt probi sapius; at erigunt se, ac porro ire pergunt. Illis è præcipitio, in quod se dejecerunt, exurgendi facultas exigua; sed ne voluntas quidem est: his & surgendi cum prolabantur, & progrediendi cum stant, non voluntas modo sed facultas etiam est. Pessimo res mea vestraque loco foret, si semel tantum caderemus. Delapsi fuerant eruditi quidam in hunc sermonem, ut quærerent quid causa tandem esset cur natura nobis dedisset oculos, quibus corporum formas cerneremus; at nullos, quibus animorum fœditatem, aut pulcritudinem possemus intueri. Bene hoc & sapienter, mihi credite, à natura comparatum est, ait Confucius. Nam si sua cuique vitia patèrent, neminem ista species non exterrèret; nec sua sapientem imbecillitas & fœcordia levius, quam improbum sua flagitia, conturbarent. Increpuit aliquos è suis discipulis, qui hoc faciebant cupide ac frequenter ut se vituperarent ipsimet ac reprehenderent. Eos magister prudens ita monuit: De vobis loqui parcite. Si quid enim dicetis in bonam partem, vobis alii non credent: si quid in malam; plura fortasse quam dicetis, credent. Addidit: Qui reprehensus errarum confitetur, modeste facit: Qui amicis detegit, facit ingenuè: Qui sibi ipse illud exprobrat, humiliter: Qui omnibus passim, superbè. Sexcenta id genus effata Sinensis Philosophi memorantur, quæ illum Romano Philosopho nequaquam esse inferiorem demonstrant. Et erit fortasse tempus, cum unum in

12.
Prima familia
Christiana: pri-
mum templum
Nankini.

volumen collecta vulgabuntur, ac docebunt, rationem ætatum omnium & hominum esse, nec divinæ gratiæ lucem mortalibus ullo unquam tempore defuisse.

In his Confucii effatis, ceterisque summi viri scriptis, & auctoritate, momentum ingens & lumen P. Matthæo Riccio paratum erat, quo tenebris occupatas & libidinibus mentes illustraret. Tum ea tanti viri commendatione id assequeretur, ut magnam ab eruditis omnibus iniret gratiam, & eos ad suscipiendam Christianam sacra procliviores haberet: ut continuo paruit in Mandarino clarissimo, & inter Sinicarum copiarum ductores celeberrimo, qui primus Nankini Christianam legem professus est. Nomen illi gentile Cin: novum in sacro impostum fonte, Paulus fuit. Patris exemplum secutus est adolescens filius, tum reliqua familia, mox propinqui & affines; è quibus tanquam vivis lapidibus Nankinensis Christianorum cœtus coaluit *ipso angulari lapide Christo JESU*. Primum huic nascenti Ecclesiæ templum Pauli domus præbuit, spoliata profanum falforum Numinum statuis & imaginibus: quarum pars absumpta est flammis, pars Macaam deportata, monumentum profligatæ superstitionis. Imago Dei Servatoris earum locum implevit. Hoc successu tam inexpectato erectus Riccius Pekinum, celo duce, proficisci denuo constituit; quo illum multa invitabant: Mandarinarum favor; compositus recentis belli tumultus; sublatas cum bello graviorille, qui Sinas commovebat, ab exteris metus; adductum à P. Cataneo supplementum Sociorum; denique facta non levis accessio ad munera, quæ Imperatori deferrebat. Unum deerat, quam necessarium, tam difficile ad obtinendum, nempe diploma rite confectum ab idoneo magistratu, quo potestas fieret Europæo Litterato regiam petendi. Quod infimis precibus, ac summis muneribus, impetrari vix posse credebatur, hoc Ciosclinus Mandarinus, ad cujus tribunal ea res pertinebat, semel oratus obtulit. Erat hæc diplomatis sententia: Matthæum Riccium, externum genere, usu & annorum XX. domicilio Sinensem, fidelitatis esse adeo exploratæ, spectatæque probitatis, ut cum de illius moribus quæstionem jurati Judices variis in locis sæpius habuissent, semper deprehensus fuisset expers vel levissimi mendacii (hoc enim in summa virtutis laude ponunt.) Habere peregrina quædam munera non contemnenda, quæ ad Imperatorem deferre vellet. Dignum hominem, inquit, judicavi cujus iter munirem isto diplomate, & cujus virtuti testimonium hoc darem; ne ad aulam accederet ignotus.

Id satis non habuit Ciosclinus, sed Leupusio eunucho, sericos pannos Pekinum deportanti, summam haud levem pecuniæ, ab eo sibi pensitari solita remisit, ut Riccium deduceret. Eum eunuchus ineunte Maio anni MDC. in unam è suis naviculis lætus accepit, cum P. Didaco Pantoya, duobus fratribus Sinensibus, totidemque adolescentibus catechumenis. Post dies quadraginta ventum est in oppidum, ubi certum vedigal pendunt merces, quæ in Septentrionales provincias ab Australibus devehuntur. Nihil ab eunucho Leupusio extigi sinebant leges, quippe cujus merces Imperatori ferebantur. Nihilominus qui portorio isti præerat Mathanus, eunuchus rapacissimus, & nummos undique corradere solitus, Leupusium distinebat, ac properanti moram injiciebat, ingenti ejus periculo, cui luenda capite cunctatio erat, nisi ad præscriptam diem Pekinum subiret. Cum nulla munera Mathani sitim explerent, statuit Leupusius ipsi Riccium dedere, & innocentis exitio transitum malè negatum redimere. Eunucho significat, hunc advenam peregrinis onustum esse gazis: præterea gemmarum insignium magnam occultare vim, quorum pars facile in Mathani venire manus possit. Hoc indicio facto Leupusius liberum adeptus iter evolat, ac Riccium sub cultro linquit. Nam si crudeli harpyiæ resistere in animum induceret, certum imminere exitium: si illi se ac sua munera crederet, aut erat complurium ac fortasse omnium jactura facienda, aut amittenda opportunitas Imperatoris adeundi, quæ tamen his muneribus offerendis unice quærebatur. Deliberanti, & quam se in partem verteret anxio, adest Mathanus: liberalitatem Europæam atque artes prædicat, & ad munera quamprimum in aulam perferenda suam opem comiter ac prolixè offert. Riccius quò spectaret humanitas tanta sentiens, gratias ingentes agit, ac sibi jam de re tota constitutum esse respondet cum amicis & proceribus: ostensurum apud illos

illos graviter, si aliorum adhibeat operam, & eorum officia respuat. Ad hæc superbè renidens Mathanus, Amicos, inquit, in aula tibi esse plurimos, teque opera non egere nostra, lætor: qui tibi tamen prodesse plus, quam nos, possit aut velit reperies fortasse neminem. Perrexit vafer eunuchus per dies aliquot munusculis advenam circumvenire, vocare ad cenam, blanditiis demereri. Nihil tamen aliud est assecutus, nisi ut Riccius sarcinas suas & munera in unam è regiiis navibus, quæ illic plurimæ Mathano parebant, transferri pateretur. Ea jam tanquam sua reputans Mathanus, libellum supplicem offerendum Imperatori componit. Laudabatur in hoc libello Riccius, munera designabantur; eò denique collineabatur omne scriptum, ut munerum deferendorum provincia spadoni avaro & ambitioso demandaretur. Libellum offerri per eunuchos aulae Mathanus cupiebat, quo certius eorum ope fieret voti compos. Illi dum mollia offerendi captant tempora, tres toti menses abeunt. Ringebatur Mathanus. Riccium quatuor satellites diu noctuque observabant, ne quid celaret, ne quid averteret. Tandem aliquando perferuntur ab Imperatore litteræ: jubebatur Mathanus donorum inire numerum diligenter, & eorum indicem in aulam quamprimum transmittere. Revixit improbus, & munerum seriem à Riccio traditam, non sine illius commendatione, mittit ad Imperatorem; cuncta se, cum juberet, delaturum addens. Tres erant pictæ tabulæ: una Christum Servatorem, altera Deiparam sinu puerum JESUM complexam, tertia D. Joannem Baptistam referebat. Horologium rotis instructum duplex; alterum majoris molis, alterum minus & manuale: triangularis crystallus gemina, ornata opere exquisito: liber precum sacerdotalium elegantissime compactus: tabula geographica, & musicum quoddam organum.

Nihil erat longius ventoso spadoni, quam diem illum videre, quo ab Imperatore accitus munera peregrina deportaret. Jam unus fluxerat mensis, itaque alter, demum tertius. Nihil responsi ab aula: & ita fert Sinarum consuetudo ut repulsa silentio significetur. Mathanus Europæa munera jam spe devorans, & ab Imperatore spreta vel penitus oblita ratus, id agebat ut munerum auctorem perderet, prada tutò potiturus. Riccium ejusque socios in arcem quandam dirutam imperat è navigio, ubi non incommodè habitabant, traduci; apponit excubias, & paucis diebus elapsis supervenit inter ducentos milites medius; ac salutantem Riccium intuens truci vultu, quærit quid isthic rerum agat in media Sina peregrinus, tam prope ab aula & regia urbe. Attonitum oratione tam feroci urget, ac rogat ubi porro delitescant illæ, quas in regiiis muneribus non appellasset, gemmæ. Cum negaret Riccius gemmas apud se ullas esse: Atqui, subjicit infrendens, novi certis auctoribus quanam illæ & quanti pretii sint: statimque militibus innuit, qui dato signo captas Riccii excutiunt, & manus profanas injiciunt sacra suppellectili, quæ ad rem divinam usui erat. Vix impio furori subductus est sacer calix, quem multis precibus, & oblato ingenti pretio redemit. Cum interim gemmarum ne vestigium quidem appareret, vecors eunuchus in Christi è Cruce pendentis effigiem incidit. Exclamat amens, incantamentum hoc esse certissimum in perniciem Imperatoris comparatum. Quid enim aliud esse tetram illam cruenti cadaveris effigiem, quam veneficii magicum instrumentum? Exterminandos præstigiatores sceleratos, monendumque Principem. Ita, diu bacchatus, minas & supplicia crepans, cum suis erumpit. Libellum statim adornat, quo Europæum advenam comparati in Principis caput veneficii convictum narrabat. Addit alteram accusationem astrologiæ vetitæ, quam à se deprehensam putabat, ob chartas Riccii quasdam geometricis exaratas figuris; ratus eas ad astrologiam divinantem, quam judiciariam vulgò dicimus, pertinere. Hæc prohibita legibus Sinicis erat, quòd ejusmodi astrologi periculosas in Imperio seditiones olim concivissent. Ejusmodi chartas seponit & includit in capsam. Apponit capsæ inscriptionem: *Mathanus eunuchus, regionum vestigialium redemptor, inter Matthæi Riccii sarcinas magnam hanc invenit copiam librorum legibus vetitorum.* Hæc omnia Riccio amicus Mandarinus aperuit, ac simul auctor illi fuit ut mutata veste certam cladem anteverteret fugâ, imaginem verò Christi crucifixi comminueret. Utrumque respuat fortis Christi discipulus. Fugere, visum inno-

13.
Riccio Pekinū
proficiscenti
grave periculū
Eunuchi præpo-
tentis avaritiæ
facellit.

centi turpe: sacram effigiem in frustra concidere, impium: præsertim cum ipse millies, Christi pro mortalibus in Cruce mortui causa cuperet intire, & Crucem Sinenſi prædicatum imperio per tot maria, tot discrimina, venisset. Sufpexit Mandarinus apostolici pectoris fortitudinem & fiduciam. Hanc Riccio causa religionis, & coelestis auxilii spes afferebat. Neque tamen humana præſidia negligit. Per medias, quibus ejus domus cingebatur, excubias emittit Fratrem Sebastianum Fernandem: excurrere Pekinum jubet; amicos monere quem in locum deductus sit; inde opis aliquid & consilii referre. It Fernandez; redit; narrat auxilii nihil Pekini esse: deditum penitus eunuchis Imperatorem, illos unos rerum potiri; neminem esse, qui contra impuram gregem hifcere audeat: suadere amicos ut, omiffis & condonatis Mathano regiis donis, vitam ex immanis bellæ unguibus ereptam apponat lucro. Prorsus hîc patuit quam verè pronuntiatum fuerit à Sapiente *Cor regis in manu Domini* *; & quam variâ suppetant viæ rerum humanarum arbitro ac moderatori Deo ad maxima quæque, prout æternis destinavit consiliis, exequenda. Sinarum Imperator, cui munerum delatus, quem dixi modo, index fuerat; subito, nemine admonente, tot jam elapsis mensibus, in memoriam redit tintinnabuli, cujus inter cetera dona fiebat mentio, quod sua sponte sonitum ederet: sic horologium manuale Mathanus explicuerat. Continuo, ubi id sit, cur ad se non deferatur, quarit. Negantibus, qui forte aderant, eunuchis id fieri, nisi juberet nominatim, posse; neque hominem externum aspirare ad aulam ausum, nisi certo mandato evocatum: Adsit ipse statim, inquit; tintinnabulum istud automatam afferat quamprimum: comteatum, rhedas, viaticum, Mathanus illi subministrat.

* Proverb. 21.

§. I X.
P. MATTHÆUS
RICCIUS MIRABILIS
NUMINIS PROVIDENTIA
PEKINUM INTRODU-
CITUR.

PERFERUNTUR ad Mathanum Imperatoris jussa. Conturbatus nuncio tam inexpectato, æstuabat pudore, ira, metu; nimirum probe sibi conscius quam indignè & crudeliter hospitem Europæum, qui modo tam splendide vocabatur, accepisset. Sic illum placare statuit, ut perdere nihilominus, si esset opus, possit: fretus ea nempe capsa, quam è Riccii sarcinis reservaverat. Hunc igitur, dissimulato marore, certiolem facit de Imperatoris mandato, comteatu instruit: adjungit triginta stipatores honoris ac tutelæ causâ: quidquid ei fuerat ablatum restitui diligenter, componi sarcinas, festinare servos ac gerulos imperat. Illi dum properant, capsam quoque à Mathano sepositam, gazis omnibus, propter mathematicas observationes ac figuras, Riccio potiolem cum reliquis comportant. Hanc ut abesse biduo post cognovit eunuchus, infremuit. Properare servum jubet, eamque, si possit, clam; si non, quocumque tandem modo recipere: certum interminatus exitium, nisi quamprimum illam reportaret. Famulus minis attonitus, quas inanes non esse aliàs senserat, maluit vitam servare fugâ, quam jussa impotentis heri tanto periculo facessere. Ita Riccius, Deo ducente, victor, incolumis, ubique regium in morem habitus, uti solent qui accessuntur ab Imperatore, Pekinum ingressus est. Solum sterile hæcenus ille coluerat, neque alium fermè fructum è laboribus, per annos circiter viginti exantlatis, præter insectationes, aut parum fecundos plausus collegerat; illorum perſimilis, de quibus Regius Propheta canit: *Euntes ibant & fiebant mittentes semina sua* *. Jam eundem intuebimur metentem summa cum voluptate, quæ cum lacrymis severat, ac messem uberrimam in horrea Patris-familias invehentem.

* Psalm. 125.

Pekinum attingit sub finem Januarii anni MDCL. In regiam admissus, & omni honoris significatione acceptus est. Placuerunt munera, quæ ex Europa deferrebat, & quorum illecebrâ captabat aditum ad regias aures. Tabulæ pictæ, Christum ac Deiparam exhibentes, divinum aliquid spirare ethnico Imperatori visæ; & idoneo loco sunt propositæ ad procerum venerationem. Exstructa turris ingens, in qua majus horologium, subjectis ponderibus cieri solitum, allatum à Riccio, locaretur; alterum minus, quod interiore machinatione movebatur, horaque sonitu notabat, seposuit sibi Imperator. Sed cum regina ipsius mater ejusdem machinæ, quia vocem sua sponte mittere dicebatur, cupiditate flagraret; Riccius ab illo rogatus abditas, quibus edebatur sonus, rotulas inhibuit. Silentem, & observatam diu adnotis auribus, machinam fastidians Regina, filio doli conscio, suc-

succesumque clam gratulanti, remisit. Jussi continuo primores eunuchorum ab eodem Riccio perdiscere sedulo rationem utriusque horologii moderandi: ac data Patribus venia interiorem regia partem, in quam aditus paucissimis hominibus patet, quandoque vellet, subeundi. Tamen sui videndi copiam Imperator ipsis nondum fecit; more atque instituto Sinarum, qui tunc majestati venerationem captabant è tenebris; ejusque, tanquam rei sacre, conspectum, nisi raro & cum exquisitis quibusdam carimoniis non indulgebant. Pro ipso Imperatore solium quoddam, structum apparatu magnificentissimo, salutabatur. Hunc morem Imperator, licet avidissimus Riccii cernendi, retinuit; eumque, nisi per interpretes, allocutus non est.

Aliquid concertationis exstitit ac moræ à magistratu, seu prætoris negotiis exterorum præposito. Imperator ut Patres Pekini confiderent omnino volebat, ac planè veterat ne verbum ullum de discessu facerent. Nihilominus, quia legibus Imperii cautum habebatur, ne sine prætoris edicto peregrinis liceret in urbe regia consistere, Imperator edictum illud à magistratu reposcebat. Prætor, sive metu periculi, quod immigere sibi videbat, si exteros sine regio mandato per scripto admitteret; sive etiam moleste ferens, quòd Riccius opera sua, ut in aulam induceretur, usus non esset; Principem sæpe admonebat ut legibus mos gereretur, & pellerentur alienigenæ. Ita demum composita res est, ut Princeps viva voce faceret illis manendi potestatem; eoque contentus prætor intercedere desineret. Neque ille diutius oblectari est ausus, malum minitantibus potentissimis regie eunuchis, quibus moderandi horologii cura incumberebat; ac timentibus ne, si machina claudicaret aut obmutesceret, errorem emendare non possent, absente Riccio, & peccatum capite luere. Sic, Deo voluntates hominum levibus momentis ad sua torquente consilia, confedit Pekini Europæus Evangelii doctor, ac domicilium Societatis ibi collocavit.

Pekinum, primaria Sinarum civitas, non abest procul ab Eoo mari, & ingenti muro contra Tartarorum præfatos impetus constructo: ad quos comprimentos ut esset Imperatorum paratior cura & præsentior, Nankino relicto, Pekinum commigrarunt. Subest quadragesimo latitudinis septentrionalis gradui: coeloque temperato, ac feraci solo fruitor. Urbs in quadrum constructa, quatuor leucas ambitu colligebat: sed cum eam occupavere Tartari, coegerunt Sinas extra mœnia sibi domos condere. Inde nova civitas veteri accessit, longior paulo quàm latior: alteri juncta & prope par, si spatium spectes; major, si populum. Hæc Sinenfium urbs appellatur: illa Tartarorum. Ambarum circuitus sex majores complectitur leucas; quarum videlicet singulæ passus ter mille & sexcentos continent. Congruunt istæ mensuræ: nam eas nuper Imperator exigi accuratè jussit. Hinc æstimari multitudo civium potest; quæ licet Europæarum urbium vel maximarum frequentiam longe superet; nequaquam tamen tanta est, quantam aliqui scriptores tradunt. Qui eorum numerum certius subdixerunt, altero tanto majorem esse, quàm Parisiis, consentunt. Viæ urbis ferè omnes ad lineam directæ sunt, ac per amplæ: sed pulvere aut luto inquinatissimæ. In quo Sinenfium exquisitam illam in publicis commodis tuendis sollicitudinem jure desideres. Per hyemem omnia putri ceno scatent. Pulvis æstate urbem totam densa nube sic involvit, ut in aëdes, in conclavia etiam tectissima perlabatur, & delicata fictilia, ceteramque supellestem oblinat. Huic ut incommodo medeantur, vias identidem aqua conspergunt, hoc est, pulverem luto mutant: equis aut lecticis locupletissimi quique veçantur: perique alii caput obnubunt perluciente velo, quo non id tantum assequuntur, ut molestissimum pulverem ne bibant, sed etiam ut obvis ignoti liberè prætereant: alioquin consistendum esset, occurrentibus Mandarinis & proceribus, quos moris est interdum toto corpore prostrato & dejecta in humum fronte venerari. Accedebat hoc P. Riccio commodi ex isto velo, quòd externi hominis speciem, quæ spectaculi novitate populum excivisset, facile tegebat, arcebatque occurfus hominum certatim eum, visendi discendique causa, requirentium. Singulæ domus ultra primam contignationem non assurgunt. Earum humilitatem compensat portarum excelstitas ac mœnium, ita ut eminus intuentibus

14.
Pekini amplitudo. Thronus Imperatoris. Machinæ astronomica.

tibus magnificum specimen regiae civitatis præbeant. Portas gemini ædificii quadrati superba moles ornat. Alterum agros, alterum urbem despectat. Inter utrumque spatii tantum patet, quantum satis est instructo ad pugnam agmini: Arce dicas urbi frenandæ appostas. Statio militum in utraque semper excubat. Murorum altitudo tanta, ut urbem universam obtegant: ea latitudo, ut equitibus bene multis ad custodiam diu noctuque oberrantibus angusti non sint. Latera murorum turres quadratæ ac validæ muniunt, inter se distantes intra teli jactum. Inanes fossæ, at latæ & præaltæ: nihil ruinosum aut neglectum: perinde ac si vicini hostis instaret. Pekini ædificia nihil habent exquisitum vel à materia, vel ab arte. Id enim invidiosum putant, & in civitate bene constituta non ferendum. Solum Imperatoris regia magnificum quiddam præfert. Ea domum imperatoriam, thronum, hortos, complectitur; ac demum urbem exiguam, palatii administris & opificibus destinatam. Quippe nullus præter eunuchos in regia interiore pernoctat: ceteri hanc in urbiculam se receptant, appetente nocte. Hæc lato muro separatur a reliqua civitate, leviori discluditur ab ipsa regia.

Palatium interius constat è cavædiis, sive arcibus ingentibus novem, in æquo & plano solo positis. Ambiunt singulas ædificia, cum porticibus, quæ sunt eò cultiores, quò propius ad regiam acceditur. Tunc enim columnis ingentibus fulciuntur: nitet pavimento marmore aut porcellana stratum: ipsæ tegulæ inauratæ, aut versicolore pigmento infectæ, collucent. In reducta palatii parte degunt concubinæ Imperatoris. Simul atque hujus gynæcei limen attingerunt, quasi essent in alium orbem deportatæ, omni cum ipsis etiam affinis & parentibus consortio prohibentur. Tribus ex earum numero selectis reginarum titulus, cum aula & comitatu nobili puellarum, tribuitur. At nefas illis vel minimam publicæ rei partem capessere. Feminis datam à natura innocentiam, pudorem, & regendæ familiæ sollertiam, Sine dicitant: administrandi vero Imperii & rerum gerendarum curam viris: ridentque Europam, cum audiunt feminas in ea regibus interdum succedere, ac regnorum habenas tractare: illamque per jocum sæpe appellant mulierum Imperium. Pars regiae potissima solum Imperatoris est. In medio unius è novem illis ingentibus cavædiis, quadratum pavementum supra reliquum aræ solum modice assurgit, instar vastæ basis, quam ab omni parte cingit distinctum crebris columellis septum. Supra illud pavementum, sive suggestum, aliud attolitur, pari septo circumdatum, sed priori angustius. Mox tertium, quartum, & quintum. Ab unoquoque suggesto ac pavimento ad superius scanditur per tres marmoreos gradus. In quinto aula prægrandis quadrata eminet, majoribus columnis nixa; & omnibus, quæ Sinica majestas excogitare potuit, ornamentis dives. In intima aula parte solum tribus ab humo pedibus exstat; ad quod nisi ægerrime, ac per implexos cærimoniarum mæandros, tanquam ad sacrarium, nemo aspirat.

Multi exquisitis laudibus extulere speculam Pekinensem astronomicam, quasi omnibus Tychonicis Uranoburgis invidendam. Delusit scriptores credulos fama, quæ res longinquas, contra naturæ morem, majores ostendit quàm propinquas. De illa siderum speculatoria turri sic scribit oculatus testis, Evangelii apud Sinas præco*. Sublimis in turrim quadratam, civitatis muro junctam, nec supra mœnium pinnas amplius, quàm pedibus decem vel duodecim erectam. In ejus aperto culmine patebat spatium minime magnum, quod pauca rudelque machinæ, sive astronomica instrumenta, olim impleverant. Sed eas inutiles ratus P. Verbiestus, astroscopii præses, amovendas persuaserat Imperatori, & earum in locum meliores reponendas. Jacent etiamnum illæ in angulo turris, oblivione ac pulvere sepultæ. Magnitudinis sunt non aspernandæ, nec infabrè fusæ. Illarum locum novæ ac perfectiores impleverunt. Prima machina est sphaera armillaris, cujus diametros senum est pedum, ambitus duodevicennum. Sphæram sustinent, instar basis, dracones ærei quatuor, spiris multiplicibus intorti: quorum pedes insident geminæ trabi ex ære, in decussim jacenti. Ejus extremis quatuor partibus superpositi sunt leones totidem, qui modo erecto capite, modo depresso cochlearum ope, totam machinam attollunt deprimuntve. Altera machina est sphaera æquinoctialis,

* *Novveau
Memoires sur
l'etat present de
la Chine. Tom. I.
Lettre 3.*

noctialis, cujus diametros longi pedum item senum. Imponitur arcuato draconis tergo, cujus falcati unguis æreas trabes quatuor premunt, decussatas ad angulos rectos. Tertia: Horizon Azimuthalis, pari diametro. Sustinetur a quatuor draconibus repandis: alii duo assurgunt hinc inde supra circulum, Horizonti respondentem; incumbuntque bacillo aëreo, supra centrum circuli ad perpendicularum erecto. Quarta machina est circuli Quadrans ingens, in decem secunda minuta divisus. Circa teres bacillum, cui applicitus & insertus est, circumagitur. Machinam omnem, ne vacillet, continent binæ columellæ, quas draco geminus infernè amplectitur. Quinta, circuli Sextans. Ejus radius octo pedum est. Sexta denique, cœlestis Globus, totus ex ære fusili, mire politus ac rotundatus, stellis suis & circulis aptissimè descriptus: tam pari libratus pondere, ut minimo impulsu moveatur, & a puero possit attolli polus vel demitti, quamvis moles amplius duo millia librarum pendat. Rotunda ex ære solido basis pari distantes intervallo quaternos dracones erigit, quorum horribilis coma sustinet Horizontem insigni artificio elaboratum. Meridianus est innixus nubibus æreis ex ima basi emergentibus: inter quas, rotarum latentium ope, sic facile fluit ac ducitur, ut nullo negotio situm capiat globus quemcumque volueris. Ipse Meridianus, Horizontis, dracones, ahenæ trabes, quæ machinam fulciunt, circumaguntur in omnem partem, immota basi. Quilibet machina suo includitur septo, & pedibus fere decem supra solum assurgit, ambiturque marmoreis gradibus, ut inspicere propius ac tractari possit. Singulis noctibus mathematici quinque in hac specula pervigilant. Unus cœli verticem, quem astronomi Zenith vocant, suspicit: alter in Orientem defixam aciem tenet: tertius in Occidente: quartus in Meridie, quintus in Septentrione: ut nihil accidat in cœlo, quod fugiat ipsos & lateat. Ventos, imbres, aeris variam temperiem, astrorum conjunctiones, dissidia, labores; cometarum lucuos ortus, errantium ignium cursus vagos, meteora omnia & phænomena observant, perscribunt in codice, ac mane renunciant mathematicorum præsidi, ut in acta publici tabularii referantur. Annum ordiuntur à nova luna, Nonis Februarii proxima. Menses duodecim lunares anno tribuunt, alios alii majores: hos dierum triginta, illos viginti novem. Stato tempore mensem intercalarem addunt, eoque pacto lunarem annum solari exæquant. Dies hebdomadæ planetis septem, ut Europæi, assignant. Diei principium ducunt à nocte media; illique horas duodecim æquales assignant.

Hac indole gentis & cognoscendorum siderum studio usus est Riccius ad ostendendum illi siderum conditorem. Eandem è reliquis Mathematicæ partibus captabat ansam ad insinuandam religionem. Musicum organum, in Europa non inscitè compactum, Imperatori obtulerat. Ille canora modulatione delectatus, continuo negotium primariis aliquot aulicis dedit ut artem condicerent, qua pulsandum esset. Musicam enim Sinæ colunt, si cum nostra comparetur, sanè rudem & barbaram; licet amplissima præmia sint canendi magistris proposita. Cum autem Europæos illi modos delicatis natos auribus admirarentur, flagitarunt à Riccio, ut carminis quidpiam adderet, organo sociandum: ut auribus lingua subserviret, sonorumque discors concordia, vocibus temperata, concentum jucundiorum efficeret. Cantica octo composuit eleganti stilo, in iisque præcepta morum pulcherrima illigavit. Placuerunt majorem in modum, ac Sinensi charactere statim descripta aulam, Pekinum, ceterasque brevi urbes impleverunt. Cogebatur idem Riccius interesse splendidis, ad quas invitabatur, epulis Mandarinorum & Litterariorum: cumque id consuetudo Sinensis ferat, ut eruditus colloquiis obsonandantur, non omittebat apte sermonem injicere de religione, vixque delibatis quæ apponebantur dapibus, convivas meliore veritatis cibo pascebat. Domum reversus colligebat capita, quæ inter cenam fuerant agitata: emittebat in vulgus, præfixo Mandarinorum nomine, qui quid objecissent solvissentve; apposita eruditionis illorum & ingenii commendatione. Per hunc modum Christiana doctrina Pekini vulgata, in pretio & honore habita, mox facillime propagata fuit. Inter illos qui Evangelii jugo superba subjecere colla, primas jure obtinet nobilissimus Mandarinus (Fumochamum appellabant;) in publicis officiis ac muneribus pluri-

15.
Insinuandæ religionis occasio è mathematicis disciplinis capta. Mandarinus ad fidem adducti.

plurimis eximia cum laude versatus, & eam adeptus opinionem probitatis inter ethnicos, ut exemplar integritatis, fidei, & æquitatis haberetur. Adeo non avidus alienæ pecuniæ, ut suæ pæne esset prodigus; quam in calamitosos & egentes prolixè ac liberaliter effundebat: omnium, quibus negotii quidpiam esset, patronus, præterquam improborum: ceterum æqui & boni rigidus custos, & adversus gratiam ac metum incorruptus; quod illi exitio propemodum fuerat. Nam eunuchi cujusdam nova tributa exigentis malas artes cum ferre ac dissimulare non posset, incurrit in odium & offensionem Imperatoris: qui avaritiæ studio, coactoribus ac publicanis omnia indulgebat. Ab eo igitur Pekinum evocatus, nec ita multo post in arctissimam custodiam traditus est. Statim atque Pekinum attingit, nihil habuit antiquius, quàm ut Europæum nosset advenam: cujus sapientiam admiratus, doctoris illum nomine palam honestavit. Valuit auctoritas tanti Mandarinum, & appellationem Doctoris, magno constare apud Sinas solitam, Riccio, propriam in posterum fecit. Non minori vicissim admiratione Riccium percussit ethnici hominis in tam indigna calamitate moderatio, & animus vinculis ac morte major. Neque vero ipsi affirmare Fumochamus dubitavit, se falli numina detestatum à puero, nec Deum nisi unum esse, ratione monstrante, cognovisse. Ita comparatus, in Christi jura facile concessit. Quin, è discipulo factus magister veritatis, id unum egit toto, quo jacuit in vinculis, triennio ut suos (nam illis copia fiebat ad eum ventitandi) Christo adjungeret: ejusque familia Christianis prope tota initiata sacris fuit. Cum tamen aspirare ad ejus carcerem nemini, præterquam propinquis & famulis liceret, expectabat videndi Riccii opportunitatem: ut per eum, quem in parentis habebat loco, novam ac divinam in sacro baptismate fumeret originem, ubi primum vindicatus in libertatem, amicorum ope foret. Illuxit illa tandem dies. Victus procerum precibus Imperator Fumochamum custodia emisit, sed ea lege ut Pekinum triduo desereret, nunquam illuc rediturus. Tantilli temporis angustias occuparunt tot negotia, tot salutationes, ut Riccius, ejus juventute & valetudine fretus, differri sacri baptismatis munus posse censuerit, usquedum domum pervenisset, Nankino vicinam, ubi majori cum splendore & apparatu, perendam à Sociis Nankini commemorantibus carimoniam credit. Raro differas, quod semel fecisse velis. Morte oppressus interit prius quàm sacro fonte tingeretur. Ea Riccium tamen spes, quæ D. Ambrosium in junioris Valentini * solabatur funere, sustentavit, fecisse Deum, qui divites est in misericordia, ut strenui catechumeni Fides & caritas, atque adeo baptismi votum, sacramenti vim obtinerent.

* Ambrosii in Obitu Valentini junioris, sub fine Orat.

Felicior existit Fumochamo Lingofunus, insignis itidem Mandarinus, quamvis à regno Dei videretur esse remotior. Cum Deo vocante multos luctatus annos, beneficium Fumochamo negatum consecutus est, licet paulo serius: & Fidelis populi patronus diu, ac pæne pater fuit. Gravissimis ab Imperatore, propter singularem industriam, negotiis præpositus, famam, opes, amicos collegerat. Subsecivas horas, maximis ereptas occupationibus, collocabat in studio litterarum, & indagandæ veritatis curâ. Hæc illi viam ad P. Riccii familiaritatem stravit. In charta geographica descripserat terrarum orbem, ejusque partem longè maximam Imperio Sinensi donaverat, regionibus ceteris in angulos chartæ contemptim rejectis: ita Sinensium ambitio vel incitiam ferebat. Incidit in ejus manus charta Riccii, multo iniquior Sinis, at multo veritati congruentior. Incessit cupido videndi auctoris, cujus ex eruditione tam insigniter profecit, ut non solum in geographia, verum etiam in reliquis mathematicæ partibus plurimum fuerit progressus. Sed (quod Riccius potissimum agebat) animum præcipuè intendit ad percipiendam Dei scientiam, sine qua vani sunt homines * etiam eruditissimi. Ejus principia & firmamenta cognoscere accuratè studuit: & ex iis quæ vidit esse rationi consentanea, non ægre ad alia gradum fecit, quæ ratio consequi sola non potest. Inde ad præcepta morum delapsus, paulisper trepidavit, Christiani conjugii sanctitate deterritus, quæ plures unâ uxores respuit. Interim donec obicem hunc cœlestis gratiæ beneficio pervinceret, totum se ad religionem illustrandam & amplificandam contulit. Quamplurimos curavit ad eam percellere, sectarum alie-

* Sapient. c. 13.

alienarum refutare deliria, vanitatem coarguere: demum non conquiescere, donec familiam omnem suam Christo per baptismum inieisset: ad quem demum, licet postremus, accessit.

Ex multis, quos in Fidelium numerum Lingosunus aggregavit, unum referam ea maxime de causa memorabilem, quod Riccium impulerit ut primam Deiparæ sodalitatem, ceterarum in Ecclesia Sinensi velut parentem, excitaret. Ille profligatissimam pridem inter ethnicos vivebat vitam, mancipium libidinum, scelerum artifex, sceleratorum dux. Omnibus invisus propter flagitia; omnibus metuentus, propter sexcentas nocendi artes. Erat ipsi pater senio confectus, quem salvum impense cupiebat ac beatum. Audierat è Lingosuno quis esset Riccius, quæ religio Christianorum; quam spem æternæ felicisque vitæ suis cultoribus faceret. Ergo patrem edocere, compotemque tantæ felicitatis facere statuit. Elementa Fidei perdiscit sedulo, & renarrat seni: effundit in ejus gremium divinas opes, nihil earum retinens sibi. Sed, ô investigabiles divinæ providentiæ vias! ingesta patri lux, in oculos filii reluctantis incurrit: se Christianum fieri, prope invitum, miratur. Subito mutatus, ac vi tanta veritatis domitus est, ut falsorum simulacra numinum in fascem collecta Riccio detulerit flammis absumenda. Diis inanibus abjectis, ad vitam pariter abjicienda se accingit. Ibi plus negotii, plus dimicationis. Sed libidinum, quibus ardebat, faces gratiæ coelestis ros in baptisate haultus restinxit. Lucæ nomen illi datum. Qui metuebant improbum ethnici, probum & Christianum contemnere cœperunt atque odisse: nec semel de illo interficiendo consilia inter se agitarunt. Prædonum grex & ficiariorum, quibus ducem olim se præbuerat, ab eo destitutus & oburgatus, certum in locum convenit, ut iniret ejus perdendi vias, Rescivit. Prodiit in medios, ac nativa facundia, quam pietatis ardor inflammabat, rationem mutatæ Fidei religionisque reddidit. Illius oratione permoti complures de grege scelerato, quem peccantem, secuti erant, secuti sunt poenitentem. Alii, amplius centum, ejus opera traducti ab errore ad Fidem, a flagitiis ad frugem bonam, memorantur. Neque fuit ipse promptior ad viam virtutis arripiendam, quam in ea retinenda constantior. Itaque verso in admirationem venerationemque contemptu & odio popularium, dux omnibus ad pietatem, & exemplar Christianæ probitatis fuit: quam ut Beatissimæ Virginis patrocinio ac nomine tutiorem illustrioremque redderet, ejus in fidem & clientelam solenni sacramento se contulit: adjunctisque sibi sodalibus, ejusdem studii peculiaris erga Deiparam æmulis, prima cœli Reginæ in Imperio Sinensi Congregatio felicibus auspiciis instituta fuit.

Quantum hic deditus vitiis ante susceptam Fidem, tantum alter, insignis Mandarinus, profanis superstitionibus, ac præsertim astrologiæ quæ fata hominum in astris exarata legere se profiteretur, erat addictus. Ad Christianam demum religionem à P. Riccio perductus est, ac Pauli nomine donatus. Nec Apostoli vacuum & inutile nomen gessit. Matrem, liberos, uxorem, omnem familiam continuo Christianis imbuit sacris: inde alios ex aliis incredibili eloquentia, quamlibet obstinatos, fregit. Idem ædium suarum partem sacello mutavit; ubi quoties ad Christi convivium accederet, toties acri jejunio pridie se comparabat; ac diem pariter insequentem, ut gratias de tanto ageret beneficio, jejunos exigebat. Confessionis etiam sacræ, nondum a feminis palam usurpatæ, ne Sinarum male suspicax offenderetur pudor, viam complanavit; cum ejus uxor, matrona lectissima, in omnium oculis ad sacerdotis abjecta pedes noxas expiavit. Nihil fieri poterat illo sagacius ac diligentius, si qua spes ostendebatur animas Christo lucrandi: eamque ob causam addictissimum se Societati esse profitebatur, quod in salutem animarum tota incumberet. Pueros in primis vestigabat moribundos, & in cœlum purgatos baptismo trans mittebat: quæ potestas illi, pro ejus auctoritate ac fama, facile fiebat a parentibus. Coactus demum Pekino in patriam redire, in ea quoque omnes Apostoli numeros, docendo, disputando, scribendoque implevit, ac piis laboribus feliciter immortalis est.

Non levio rem habebant ad persuadendum vim tum verba tum vita ceterorum è Christi schola discipulorum: quorum in moribus, tanquam in clarissimo

16.
Prima Deiparæ
sodalitas in Im-
perio Sinensi.
Neophytorum
pietas.

17.
Plurium Numi-
num cultus edi-
cto publico pro-
hibetur.

speculo divinæ legis candorem & sanctimoniam legentes ethnici ad eandem cognoscendam & amandam accendebantur. Nonnulli duriores & superstitionibus impiis dediti, cum florere Christianam cernerent disciplinam, nec tutum aut tempestivum ducerent moliri quidquam contra ejus magistros, Imperatoris gratia pollentes; de ineundo cum iis foedere, ac lite civiliter componenda (quæ gentis urbanitas est) cogitarunt. Riccius igitur adeunt, eique significant ægre ferre Litteratorum primores, quòd unum, rejectis ceteris, Deum coli jubeat: ita componi posse negotium, ut cœlum obtineret impune Christianorum Deus; at reliquos vicissim Deos imperitare terris, & à populo coli, pareretur. Risit foederis inepti conditionem præco Evangelicus; &, qui Deus verè sit, nisi unicum esse non posse demonstravit. Quo responso contemptrique irritati, suorum causam Numinum tueri, & Riccius refellere decreverunt. Scribendi partes data Mandarinis, sectæ principi: qui eruditionis fama subnixus, edito libro conatus est defendere falsorum Numinum cultum; & despecto Confucio, cui se impudentissime præferebat, cœli Dominum velut in ordinem cogere. Visa magistratibus Pekinensibus res indigna, & Sinicis ritibus adversa. Librum auctoremque deferunt Imperatori, ac rogant ut plurium Deorum cultum, patriis vetitum insti- tuis, nova lege prohibeat. Conscriptum illico in hanc sententiam edictum est, auctorque pestiferi scripti, Pekinum cum grandi suorum librorum fascie propereans, coniectus in carcerem. Meritum supplicium, sectis sibi faucibus, anteverit. Ejus affectæ nonnulli voluntarium in exilium profecti sunt. Nondum tamen, licet ista tanto fulmine, impiorum secta conciderat. Restabat adhuc illius ingens columnen Tarquonus, è Mandarinis Bonzius, senex annis vitiisque gravis, & quidam quasi Sinicæ religionis Pontifex. Hunc numinis loco venerabatur populus, suspiciebat aula, metuebant eunuchi, colebat Imperator ipse. Pars felicitatis censebatur eum aspexisse vel semel: & regina, cum ejus aspectu frui non posset, missam ab illo vestis detrita laciniam, è sacrario domestico suspensam, quotidie genibus pronis supplex pio libabat osculo. Talem ac tantum adversarium Christianis dæmon objecit; Christus disjecit, otrivitque. Imperator filium natu majorem non alia de causa, quam quòd magis arrideret minor, à solio removere velle dicebatur. Incidit in ejus manus libellus, quo ipse consilium & propensio in filium natu minorem atrociter carpebatur. Excanduit Princeps, & audacis architectum scripti vestigari jussit. Incubuit in Bonzios suspicio. Excutiuntur eorum cœnobiaz, scrinia refringuntur. In Tarquoni capsis affine libro scriptum deprehenditur, chartæque permultæ scelerum plurimorum conscia. Rapitur injus, fustuario damnatur. Quo in cruciату, sive plagarum numero & acerbitate, sive etiam ignominia impatiencia exanimatus, vitam sceleratam turpissima morte clausit.

§. X.
CHRISTI CULTUS
LATE A PATRIBUS
PROPAGATUR.

* Luc. 4.

Dum tanto liberatus adversario Mathæus Riccius Christi Fidem in regia Sinarum urbe, faventibus Superis hominibusque confirmat, in Quantunia ejusdem Imperii Sinensis provincia P. Nicolaus Longobardus Christianam rem strenuè promovebat. Campus ad excolendum illi præsertim attributus fuerat Xaoceana statio. Ac primorum quidem laborum non alios fructus, quam patientia mercedem, tulit. Placebant Sinensibus effata morum, quibus pulcherrimis Christiana lex abundat: eorum sanctitas excelsitasque voluptatibus & avaritiæ mancipatos absterrebat. Fuit qui Dei præcepta decem (quem Decalogum appellamus) attentè perlegens, laudavit illa quidem pluribus verbis, sed à Mandarinis negavit observari posse. Anxium super his mærentemque Longobardum Prophetæ vox, quæ *pauperes evangelizandos* * admonet, perpulit ut ab urbe procederet in circumjectos pagos: ubi vulgo simplicitas, candor, parsimonia, morantur, virtutes amica religionis. Prodit ergo in rusticorum cœtum, diem certam anni MDCII. constituit, qua de rebus novis & Orbe alio essent audituri. Conveniunt frequentes, & à rerum curiosa narratione ad salutis æternæ curam sensim traducti, Christianis mysteriis imbuuntur. Sedebat Longobardus, quo more Litterati Sinenses docent, in loco editiore; tabellam pictam proponebat, explicabatque: capita explicata, & litteris consignata in libello, tradebat mandanda memoria. Diebus aliquot

aliquot hunc in modum consumptis, Christi Domini præclaram imaginem extulit sublimè; mox eandem pronò capite veneratus, Servatoris nostri dignitatem, & summa in mortales promerita sic apposite commendavit, ut in ejus Ecclesiam cooptari enixè petierint. Lætus successu sacerdos, sancti baptismatis dignitatem multis ac veris laudibus celebravit, instituitque ut sacro renati fonte ab amicis & consanguineis, ad strepitum lyræ, domum deducerentur; ad eum ferè morem, quo Sineses illis gratulari solent, qui regio aliquo munere sunt ornati. Sic sunt homines: rerum pretia oculis ferè & externo splendore metiuntur: atque huic imbecillitati, etiam in tradendis rebus sacris, rectè servitur. Itaque Fides honore affecta vicinis paulatim innotuit urbibus, & instar illius minimi seminis in Evangelio laudati, crevit in magnam arborem, & fructus ubique lætissimos tulit. Nullum est virtutum genus in quo edita non fuerint a neophytis, quos Longobardus erudiebat, exempla illustria, præsertim in condonandis injuriis: quæ pars virtutis apud Sinas præ ceteris ardua. Mandarinum fratrem vilis opilio cruci-daverat: quanto abjectior sicarius, tanto erat facilius ultio: tantoque venia difficius, quanto frater carior exstiterat. Non modo pepercit homicidæ, sed ejus quoque causam, ne supplicium de reo sumeretur, egit. Ipsi pueri, qui, quo promptiores iras, eò aciores gerunt, si quid natum rixæ foret, in mutuos ibant amplexus; iterantes inculcatam ipsi orationis Dominicæ vocem, quæ dimitti nostra nobis debita sic rogat, uti dimittimus aliena. *Quemdam è Fidei grege Dei manus, ut Jobum illum, tetigerat* *. Bonis spoliatus, exturbatus domo, calumniis & verberibus affectus, filium præterea, spem familiæ, unicum tot in ærumnis solatium, amiserat. Ab omnibus destitutum ethnici deridebant, quasi meritas lueret abjectæ religionis antiquæ pœnas. Immobiles tot inter naufragia & constans animus quiescebat: neque ex eo vox ulla præter hanc audiebatur, *Fiat voluntas tua*.

* Job. 19.

Haud aliter affecti erant, nec minus sitientes ærumnarum reliqui, præsertim auditâ P. Longobardi de Christi cruciatibus concione: cujus vim & efficaciam, fusæ ubertim crebros inter singultus lacrymæ docuerant. Eò impensius ille institit Christi crucem ejusque mysteria Christianis explicare, contra quàm Mandarinum etiam Christiani suadebant; veriti scilicet ne fabulæ, nuper vulgatæ ab eunucho Marthano, de Christi Crucifixi effigie in Imperatoris necem comparata *, memoriam conspectus Crucis ac prædicatio refricaret. Calumniam & metum sprevit generosi sacerdotis constantia, comperitque nullo magis mysterio moveri animos ipsorum ethnicorum, qui Dei pro mortalibus tam indigna patientis caritatem, satis admirari non poterant. Aliam Xaoceæ fabulam histriones protervi adornaverant, quæ in gravem religionis divinæ contemptum evasisset, nisi mature fuisset oppressa. Histrionibus abundans Sinæ: vixque est alia gens ulla mimis & ludionibus pertinacius dedita: sive quia diffuit otio & pace; sive quia læta populi & amœna indoles, ac sponte imitatrix, fingendi artifices avidè spectat. Illi dum novi spectaculi materiam undecunque corradunt, Macaum venere. Ingressi templum, sacrorum ritus & cærimonias, Christianorum etiam mores, attente specularunt. Ex his fabulam contexit oppidò ridiculam. Exhibetur: tollit cachinnos impia plebs, & sancta mysteriorum majestas ludos procaci populo dat. Cohibuit histrionum petulantiam magistratus, ac nota Sinesium Christi cultorum probitas scenicam scurrilitatem apertè refutavit. Hæc profani theatri licentia, etsi maturè compressa, plurimos tamen accendit quare divinam legem ejusque mysteria curarent attentius cognoscere. Jamdudum ea cupido mulieres incesserat, quarum natio præcipue curiosa. Sed erudiri facile non poterant. Consuetudo quippe Sinica feminas domo, ut carcere inclusas, virorum aspectu colloquioque prohibet. Patribus venit in mentem illas doceri per maritos aut parentes posse. Pari ac sperabatur exitu res successit. Laboratum diutius est, quemadmodum iisdem ministrarentur sacramenta, audirentur de peccatis confitentes, oleo sacro morientes inungerentur. Censuit Sacra Congregatio, de sententia Summi Pontificis, *Posse omitti ex gravi necessitate quedam sacramentalia in baptismo seminarum; ac etiam posse omitti ipsum sacramentum extreme unctionis* *. Quamquam hæc morientium unctio, & aliæ quedam baptismi cærimoniæ, tunc paulisper sunt omissæ,

* Suprà. n. 13.

* In Responsis Sacre Congreg. an. 1656.

ut indulgeretur anxie, & suspiciosa Sinensium modestie; nec tam ablata sunt, quam dilata. Quippe impetratum postea fuit à viris Christianis ut suas uxores ac filias divinis liberè frui mysteriis paterentur; ipsique P. Longobardi moderatio perplacuit; qui hanc mulierum institutionem arctissimis finibus circumscribebat. Quippe illas parèd, nec nisi coram parentibus aut maritis alloquebatur. Itaque id brevi perfectum fuit, ut modestiam Christiane religionis & integritatem admiratè, totas dederent se se studio & exercitationibus intimæ pietatis. Ausa quin etiam aliquæ pudoris virginei florem illibatam, raro inter ethnicos exemplo, Regi virginum consecrare.

Quod Xaoceæ Longobardus, hoc in aliis tribus Societatis domiciliis sexdecim è nostris præstabant, Nankami scilicet, Nankini, & Pekini. Jamque pro messis amplitudine operarii erant pauci, Pekini præsertim, ubi Fides majora in dies incrementa capiebat; Litteratorum superbiâ paulatim jugum Christianæ humilitatis subeunte. Unus ex illis anno MDCIV. densa errorum, quibus involutus tenebatur, nocte præpeditus ne lucem Evangelii sapius oblatam agnosceret, hac oratione victus est. Cum esset in physicis peregrinus ac sanè rudis, disputandi tamen cupidus, eò perductus fuerat ut ignorantiam candidè fateretur. Tum Riccius: Ergo, inquit, in rebus, quæ finibus naturæ sanè angustis continentur, cæcutire te confiteris, nec recusas doceri: cœlestia, quæ ad naturam divinam pertinent, mysteria doceri non vis? Rectè narras; ait Mandarinus; & salutis doctrinam percepit. Eandem alii ex eodem Litteratorum ordine, quasi aliud agentes, & cognoverunt ipsi, & aliis cognoscendam tradiderunt. Est enim istorum eruditorum natio apud Sinas prope infinita: qui cum in litteris toti sint, abundant otio, & cupidissimè famam ingenii doctrinæque aucupantur. Eam plerumque captant conscribendis libris. Jam quia libri, nisi terantur vulgi manibus, auctoribus suis damno potius quàm honori sunt, ea conquirunt librorum argumenta, quæ novitate rerum & admirabilitate lectores invitent ac teneant. Vix est illorum plerisque Europæ, sive Magni Occidentis, ut vocabant, religio utramque hanc habere dotem. Paucis annis innumerabiles prodierunt in lucem libri, quibus nomen Christianum & mores toto, quàm late patet, Imperio in omnium cognitionem venerunt.

Neque illud non valuit majorem in modum ad laudem religionis, quod institutum à Patribus erat, ut qui genere aut litteris præstantes ad eam accederent, edito publicè scripto exponerent causas, quibus permoti avita deseruissent sacra, & meliora suscepissent. Hoc scriptum recitabant, cum ad populum Dei aggregabantur: sæpe in lucem edebant, nomine suo & chirographo consignatum; semper deponebant apud Patres, testem susceptæ Fidei, vadem constantiæ. Non pigebit ejus generis formulam referre, specimen ceterarum. Mandarinus ille Paulus, cujus facta priùs mentio* in hanc sententiam loquebatur, uti P. Matthæus Riccius refert. *Ego Li, Christiana legis discipulus, eam toto pectore complector, & sublati in cælum oculis, Dominum cæli oro quæsoque, meis ut verbis placidas aures accommodet. Agnosco me, ut pote qui nihil hæcenus de sancta, quam nunc profiteor, lege audioissem, neque ullos ejus vidissem præcones, vitam cælestium rerum expertem, instar muta pecudis, in errore tenebrisque duxisse. Incidi non ita pridem, singulari Dei beneficio, in Occidentis magni doctores duos, morum probitate insignes, Matthæum Riccium & Didacum Pantoyam: ipsi me legem Christi docuerunt, ipsi ejus ostenderunt imaginem, quam debito cultu sum veneratus. Hic mihi primus fuit gradus ad cognitionem Patris mei cælestis, ac divina legis, quam mortalibus sanctitate vera imbuendis dedit. Possunne illam non magni estimare, non omni cura & contentione servare? Cum nihilominus intelligam in multis me & graviter lapsum esse per annos, quos explevi, quatuor & quadraginta, summum gentis humana patrem obtestor ut, pro sua misericordia, meorum mihi scelerum, quæ contra justitiam, integritatem, castimoniam, fidem, caritatem admisi, ac si quid aliud verbo vel tacita cogitatione impie, temerarie, turpiter, iniquè, sciens ac prudens, imprudens peccavi, veniam dignetur impertiri. Nunc enim sanctè polliceor ac denuncio me, statim atque novam à sacro fonte vitam hausero, daturum operam diligenter ut pri-*

18.
Formula quædam
profittenda
Fidei à Neo-
phytis edi foli-
ta.

* Suprà. n. 16.

sinos mores emendem, & facta mea, sermones, consilia exigam ad normam divinae legis, decemque praeceptorum quibus illa maxime continetur, a quibus ne transversum quidem unguem discedere certum mihi ac deliberatum est. Nuncium remitto profani & scelerati seculi moribus, placitis, & erroribus: quidquid cum divina lege pugnat, horreo ac desessor. Unum peto, Pater creatorque hominum Deus, ut hunc stironem tuum in hac sanctioris, quam ingredior, vita via rudem & imperitum, caelesti luce collustras; qua cognoscam quid acceptum tibi sit, & cognitum amplectar: donec aevi mortalis emensus iter, consequi te, ac tuis in caelo bonis frui possim. Simul oro illud, per te mihi ut liceat in ejusdem divinae legis tuae cognitionem vocare quoscumque potero, ac tanta felicitatis socios quamplurimos, more atque exemplo tot Christianorum tibi unice deditorum, adsciscere. Fave meis votis adorandum Numen, nec precantis famuli tenuitatem aspernare. Imperatoris Vanlicei anno trigesimo, luna octava die sexto.

In hoc scripto Mandarinus Paulus meminit de Christianis, divinae legi observandae addictissimis, & amore divino flagrantibus: ac sane fidem prope omnem superat illorum incensus ad pietatem ardor. Accessit aliquando ex iis unus ad P. Riccium, dolorem vultu, manantibusque lacrymis praese ferens: multa prece rogat, sumere ut poenas de homine improbo velit: ac simul flagellum ipsi porrigens nudabat humeros: cum Pater subiecit nefas esse reum plectere, indicta causa; & consistentem audivit de peccato levi, vel peccati potius umbra, quae metum conscientiae, ad ipsum peccati nomen expavescenti, non levem incusserat. Alter, senex octoginta natus annos, tria passuum millia, ut facienti sacerdoti operam daret, pedes haud gravate conficere solebat. Idem, morbo ad senium accedente, cum instare supremum diem intelligeret, enixè petiit sacro ut Viatico instrueretur, ad aeternitatis iter tutius capeffendum. Riccio moram injiciebat ejus domus à templo remotior, ad quam deferri caeleste ferculum in oculis ethnicorum nondum impune poterat: negabantque Christiani complures è dignitate tanti mysterii esse, ut furtim absque pompa deferretur ad aegrotum: alendam neophytorum fidem adhuc imbecillam externo quodam apparatu. Non deerant qui rem divinam ejus domi censerent fieri posse. Cunctantibus hunc in modum & deliberantibus supervenit ipse aeger, a quatuor bajulis delatus in aedem sacram, quò ingens Christianorum numerus (erat enim Epiphaniae festa lux) convenerat. Ipse in limine senilem ac fugientem animam colligens, omnibus attonitis exclamat, Date, date mihi Deum meum: indignus sum ad quem veniat: ire me ad ipsum par est. Procurrrens continuo Riccius eum jubet in suum ipsius cubiculum aedi sacrae junctum deduci, sterni viam tapetibus, accendi funalia, incendi odores; tum procedere supplicantium ritu delectum è Christianis numerum: quos inter caelestis Hostia cunctis adorantibus ad senem deferretur. Angelico refectus pane, ac sacro perunctus oleo, reportatur domum, & inter gratulantium Fidelium pios gemitus, placide obiit in complexu Dei sui.

Nec leve decus additum est carimoniis Christianis, cum Pauli Mandarinum mortuo per eos dies patre, illi parentatum est eo ritu, quem usurpare in exequiis Romana Ecclesia consuevit; servatis nihilominus nonnullis, quae Sinesis postulabat usus, quaeque nihil superstitionis redolebant. Palam testati sunt ethnici nihil fieri magnificentius potuisse, nihil convenientius pietati liberorum erga extinctos parentes; qua una praeter ceteris ita gloriantur Sinae, ut qui sunt in eorum institutis rudes ac peregrini, mortuos ab illis Deorum ritu coli putaverint.

Iidem ineuntem annum praecipua celebrant hilaritate ac religione. Christiani Augustum JESU nomen, radiis & auro coronatum, domorum suarum januis affixerunt, consistentibus ad spectaculi novitatem ethnicis; & quid nominis id esset, dum cupidè inquirunt, utiliter audientibus. At Longobardus, cum in jus vocaretur à profanis quibusdam falsorum Numinum cultoribus, apertè professus est cultum uni Deo adhibendum esse: & causam hoc maximè argumento vicit, quòd affirmaret idem sentire Litteratos, qui religionum apud Sinas velut arbitri sunt. Ejus fiduciam auxit gemini Mandarinum longè diversa fors, ut erant utriusque mores longissime diversi. Alter, cum fureret in Christianos, quorum perniciem anhela-

anhelabat, eo ferox & potens quòd primariam Imperatoris uxorem discipulam habuisset, inexpectata calamitate oppressus est, & ab aula in exilium procul amandatus: alter, Christiani nominis & P. Riccii studio insignis, auctus honoribus & provinciae administrandae praefectus. Nec dubitavit Longobardus ei libellum, in quo summa doctrinae sacrae continebatur, offerre; provocans Litteratos omnes, qui Mandarinum latus ac tribunal frequentes stipabant, ut secum disputando congrederentur, ac propositam in libello doctrinam, si qua possent ratione, impugnant.

Ita promovebatur secundissimo cursu catholica res: jamque eo pervenerat Christianorum numerus, ut illi angustiior aedes sacra esset. Igitur magis amplum aedificium in ipsius Pekini sinu coemit * Riccius: illudque singulari beneficio urbanus praetor edixit immune in perpetuum censu, quem regio fisco aedificia omnia Pekini pensitant. Pars ejus prima templo addita fuit: altera sacerdotibus: tertia quatuor tironibus, qui ad opus evangelicum formabantur, magistro P. Ferreira. Suscepta continuo in vicina oppida expeditiones. Earum una centum quinquaginta statim ethnicos Christo dedit, primitias copiosae messis.

Interea Principes aliquot e regia stirpe veram professi religionem sunt Nankami: quos plurima nobilitas imitata, Regem Christum agnovit, eique sacramentum solenne dixit. Matriona cum primis dives ac splendida, quae jam decimum annum oleribus in Deorum suorum honorem victitabat; ubi Christianam cognovit legem, illorum ex auro, argento, lignoque struem Patribus concremandam detulit. Sed nullum certius mentis omnino mutatae documentum dedit, quam laceratum diploma ridiculum, pridem ipsi à Bonziis auri magno pondere venditum, quo sacrilegi nebulones, muliebri simplicitate ad lucrum abutentes pollicebantur fore ut, obita morte, inoffensum per callem recta evolaret ad Superos. Patres diplomatis inepti loco, sponcione gratuita fidem suam sanctè obligarunt, si susceptam religionem constanter & piè coleret, expeditum illi ac certum ad aeternam felicitatem iter fore. Lata felici promisso postulavit ut plenius erudiretur. Hunc in modum peracta res est. Aulam ingentem medius paries interfecabat. In pariete vacuus quidam erat locus, velo tamen obstructus, instar fenestrae, clathrisque munitus; ita ut loquentium admitteret vocem, obtutum excluderet. In interiori conclavis parte matriona sedens sacerdoti extra parietem sedenti, ac docenti aures dabat. Venerat constituta ejus baptismo dies: repente cum illa processerunt ad sacrum fontem virgines duae nobiles, ejus filia & neptis; itemque tres aliae. Adfuerant illae in eodem ulteriori cubiculo, quando matrionam sacerdos noster erudiebat; & quidquid ipsis difficultatem moveret, per ipsam velut interpretem proposuerant. Interrogatae in ipso templo, tam apposite responderunt, iis ut negari baptismus, quem cupidissime flagitabant, non potuerit.

Dum novi formantur Christiani, veteres detecti sunt. Judaeus ab ultimis Imperii finibus Pekinum adveniens, certiore Riccium fecit, superesse trans murum magnum, qui Sinas à Tartaris discludit, priscorum tristes reliquias Christianorum: qui praeter suum nomen, quod etiam occultabant, & Crucis venerationem, nihil e Christi religione retinerent. Judaeum comitabatur unus ex illis Christianis, qui cum Crucem pro foribus nostrae domus vidit, ultro procidens eam adoravit: & à Riccio, quid lateret in Cruce mysterii, quae Christianorum essent officia, quae leges, percontatus, lacrymas tenere non potuit, majorum suorum incuriam deplorans, qui rerum tantarum cognitionem in posteris obliterari passi essent. Rescitum ex eo fuit vexatos à Saracenis, innato in Christum odio flagrantibus, Christianos partim avita neglexisse sacra, partim ad Mahometem descivisse: quosdam ad unam e tribus, quae vigent in Sina, sectis animum appulisse. Hic nuncius Riccium summo dolore affecit. Hominem de Societate, cum litteris, & strenuo neophyto (quod unum praestare tunc poterat) ad eos misit, magnoperè obsecrans ut doceri se patrentur. Illi verò, ne in odium offensionemque Sinarum incurrerent, quorum mores ac vitia induerant, utrumque, nulla spe relicta frugis bonae, remiserunt. Adeo mortalibus miseris coelestia & sempiterna, praeter terrenis caducisque, bona sordent!

Ac istorum quidem lugenda socordia & caecitas est: nonnullorum vero Christianorum accusanda merito malevolentia & invidia, qui per idem tempus religio-

19.
Novum templum
Pekini conditum
& Societatis do-
mus. Christiani
veteres in Sina-
rum extremis fi-
nibus.

* *Mense Sextili*
1605.

nem in maximum periculum, dum suæ obsequuntur cupiditati, conjecerunt. Diem obierat Episcopus Macaensis anno MDCVI. Ei vicarium subrogavit Goanus Archiepiscopus sacerdotem è sacra D. Augustini familia, donec rite successor legeretur. Ille vix diocesim administrandam suscepit, cum unus quispiam è clero nescio quid litis ac rixæ cum religioso Franciscano movit. Exarserunt hominum hinc inde studia, dum alterius causam tumentur, alterius damnant. Placuit sumere arbitrum, qui controversiam amicè componeret. Delatum est causæ judicium ad rectorem collegii Macaensis, quod illi male vertit ac Societati. Expensa diu multumque causa, doctissimis viris in consilium adhibitis, clericum in culpa esse judicavit, hortatusque porro est ut ne gravaretur Franciscanum officio aliquo & urbanitate placere. Abnuvit ferociter, & cum Vicario de injuria dolenter exposulavit. Ille clericum vacare culpa contendit, & in collegii rectorem, quia causam Franciscano adjudicaverat; deinde in gubernatorem civitatis, quia favebat rectori, dirum anathema contorsit; denique urbem universam sacrorum interdictione percussit. Mitigatus aliquanto post, æstu iracundiæ paulatim defervescente, rediit in gratiam cum ceteris; non item cum Societatis hominibus, quos male perdere, atque Imperio toto exterminare constituit. Ergo Macaenses Mandarinos convenit: affirmat Patres Societatis id unum moliri, ut simulatione religionis in Sinam inducendæ, invadant Imperium, & Imperatorem folio deturbent. Hujus locum & diadema destinatum ab iis esse Patri Lazaro Cataneo: classem Batavorum, quæ ab aliquot mensibus mare Sinicum pererrabat, consultò fuisse adductam, ut conjuratorum scelerata consilia secundaret. Lusitanum urbis gubernatorem (is Societatis partes contra Vicarium Generalem fuerat amplexus) iisdem venales copias addixisse: adfuturas in tempore alias è Japonia, ubi Societatis discipuli multi, magnæ opes, formidolosa potentia. Macaenses Mandarinum, hæc omnia trepide vicinis Quantuniæ provinciæ magistratibus perscribunt.

Imperii majestatisque retinendæ cura in Sinenfibus incredibilis est. Inde illud, quo flagrant in exteros ac præsertim Europæos, odium; quos præstare armis, industria, viribus norunt. Perculsi metu Quantunienses magistratus, copias & ceteram belli supellectilem terra marique comparant. Spargitur per vastissimum imperium tristis rumor: cives armantur, geminantur excubiæ, portæ urbium occluduntur, velut hoste jam imminente. Erant qui trucidatum Pekini P. Riccius, ejus comites pari supplicio affectos prædicarent: nihilque propius factum est, quàm ut efferata plebs in P. Longobardum irrueret, exemplumque in eo barbaræ crudelitatis ederet. Periculum effugit ille præsidio amicorum, & latendi sagacitate: at Franciscus Martines in hac tempestate deprehensus periit. Degebat morbo implicatus in civitate Quantuniæ provinciæ primaria, & quamvis innocentia fretus, atque ipso patriæ (nam Sinenfibus erat) nomine satis defensus videretur, continebat se domi tamen, donec ille turbo detonaret. A religionis desertore sacrilego, præmii spe ad scelus inducto, detectus accusatur apud præfectum urbis, tanquam Catanei satellites, Ricci explorator, patriæ hostis. Pertrahitur, licet æstuans febri, ad Mandarinum tribunal, onustus compedibus; & unde veniat, cur arma & supellectilem bellicam comparaverit, quæritur. Negat ille quidquam armorum aut bellicæ supellectilis a se comparatum. Xaoceâ se Quancheum venisse auctoribus Mandarinis docet, eorumque nominibus obfignatum diploma profert. Conturbatus dicentis confidentia delator expalluit. Quærenti testimonium, quo ruentem delationem fulciret, succurrit insignis fallacia. Nitratum pulverem enunciant Sinæ uno vocabulo, cujus duæ sunt partes, & quarum altera, si sola sumatur, potionem medicam significat. Aderat puer, Patribus operam navare solitus domi. Quærit ab eo delator vaser, ecquid potionem medicam sumpsisset Martines. Respondit puer sumpsisse, nec semel. Vocem excipit veterator, & addita una syllaba, vocabulum, quo sulfuratus pulvis notabatur, clara voce, quasi à puero pronunciatum recitans, asserit nitratum pulverem à Francisco coemptum. Sensit puer dolorem, & medicamentum ab eo sumptum, non pulverem nitratum comparatum, diserte affirmat. Instat delator: puerum accusat, quasi testimonio non stet; ac diris execrationibus Superos omnes facit testes, verè omnia à se referri. Mandarinum rapi

puer-

S. IX.

QUARTA RELIGIONIS AC SOCIETATIS PERSECUTIO.

20.
Occasio persecutionis & progressus.

puerum ad quaestionem imperat, qui tormentorum crudelitate victus, quicquid quærebatur effudit, pulverem coemptum, parata arma, conjurationem initam. Latus extorta pueri confessione iudex, Franciscum in carceris infimi specum conjicit, exprobrans quoddam Mandarinorum litteris abuti ad hæc scelera impune perpetranda non dubitaverit. Addidit delator illum insignem esse præstigiatorum, qui adhibere aquam ad maleficia consuevissent. Hoc agebat sceleratus, ut febris periret innocens prius in carcere, quam accusationis falsitas deprehendi posset. Ergo affectus verberibus datur in custodiam, ubi parum absuit quin febris & sibi exanimaretur.

21.
Franc. Martines
fustuario inter-
ficitur. Patescit
calumnia.

Ubi primum diluxit, cum hospite ac puero producit à carcere ad tribunal. Mandarinus, ne frustra tantum terrorem civibus injecisse videretur, quorum plurimas domos, ut pomerium ad belli opportunitatem laxaret, solo æquaverat; reos per urbem traduci, & toto die ad valvas adium profare jussit, innumerablem populo proditores male ominatis vocibus obruente. Sub noctem crudelissime caduntur, & in carcerem remittuntur. Postridie Franciscum iudex iterum evocat, urgetque ut, siquidem jacta sit alea, non cunctetur de Cataneo & Lusitanis quacumque sciat aperire: si quid dissimulet, exquisitis cruciatibus lacerandum esse. Cui sedate Martines, se Christianum ac Societatis Jesu alumnum esse respondet: nihil de ficta conjuratione rescivisse: nihil molitum in patriæ perniciem unquam fuisse. Quibus verbis accensus furore barbarus, pronum denuo jubet humi sterni, ac majore savitia cædi. Cum emori cerneret, reportari jussit in carcerem, cujus in limine animam efflavit, pridie Kal. Apriles MDCVI. ætatis anno tertio & trigesimo, in urbe Quancheo, primaria provinciæ Quantunia. Ejus hospes, & adolescens Christianus, cum eo comprehensus, reducuntur in custodiam, enecandi fame. Ita Mandarinus jusserat, ut invidiam immodicæ crudelitatis in crimine non usquequaque comperto, effugeret. Nihilominus dissipat litteras quoque versusum ad provinciarum gubernatores & urbium: tantisque in Dei famulos exarsit Xaoceensis plebecula furor, ut ad Societatis domum concremandam facibus armata cucurrerit. Periculum immane disculsi Patris Longobardi fiducia, qui populi vesaniam remediis majoribus arcendam intelligens, ultro ad Mandarinum primarium, Pekino peropportune advenientem appellavit; eumque, ut causam omnem pro potestate (nam provinciam gubernaturus aderat) vellet cognoscere ac adjudicare, obsecravit.

Ille, ut erat eximia probitate vir, & Riccius Pekini, Patres alios alii in locis perspexerat, miratus calumniæ atrocitatem, negotium impigre suscepit. Ac primo quidem minoribus Mandarinis & Xaoceæ magistratibus præcipit, ut de vita moribusque PP. Longobardi & Catanei accuratè, juratis testibus adhibitis, cognoscant. Nihil nisi probum & laudabile repertum est. Deinde submitit Macaum militarem hominem, qui Lusitanos, urbem, collegium, excutiat: nihil armorum, militum nihil, omnia sincera & pacata deprehensa. Sane Batavorum conspectu classis erat, sed ea Macaensem speculata paulisper arcem, nec obsideri tuto posse, ut sperabat, judicans, in Molucum vela retorserat. Quo in metu pars quadam urbani muri collegio imminens, quia parum firma, si hostis ingrueret, videbatur, valido munita propugnaculo raptim fuerat. Hinc datus suspitioni locus: hinc immani calumniæ quæsitus color. Quæ postquam ad Mandarinum delata, gaudere ille scilicet, Patrum atque adeo veritatis causâ. Certiores continuo præfectos urbium vicinarum & provinciarum facit. Iudicem improbum, à quo deditus neci Martines, productum in jus, exprobrato scelere, constringi, & ad Proregem, ut merito supplicio plecteretur, imperat pertrahi. Quibus peractis, constare omnibus edicto proposito voluit, Patres falso crimine accusatos; illorum innocentiam cognitam, nihil ab iis aut à Macaensibus Lusitanis imminere periculi. Postremo diploma rite perscriptum iisdem tradidit, depulsæ monumentum calumniæ; propulsandæ, si qua inferretur, instrumentum. Francisci Martines ossa, è carenis, cum quibus sepultus fuerat, facile agnita, Macaum in sepulchrum Societatis illata, & piis non Christianorum modo, sed ethnicorum etiam lacrymis rigata sunt. Sinen-
sis erat, primus ex illa gente cum P. Sebastiano Fernandæ, Societatem ingressus:
in

in eamque admissus Xaoceæ, quò illum P. Alexander Valignanus, è Macaensi collegio, ubi bonas artes docebatur, miserat *. Post tirocinium initiatus sacris, qui minores dicuntur, Ordinibus, & ad sacerdotium, si vita suppeditasset, provehendus, virtutis exemplo, docendi assiduitate, contentione dicendi & Evangelica in castigandis moribus libertate, rem catholicam valde juvit. Argumento est ille Chiutaisus, de quo jam facta mentio *. Legem sanè Christianam laudare ac mirari non cessabat; ejusdem propagatores auctoritate, gratia, consilio, ubique tutabatur; sed vincula carnis, & sanguinis, quibus adhuc tenebatur obstrictus, non perfringebat. Talem nactus Nankini Martines aggreditur, & Quousque tandem Spiritui Sancto resistes? ait; quousque *Dei veritatem agnitam in injustitia detinebis* *? Hac oratione, quasi fulmine repentino percussus concidit Litteratus arrogans, apertisque ad novam lucem oculis, totum se victori Deo permisit, & Ignatii nomen in *lavacro regenerationis* sumpsit. Cum interea P. Alexander Valignanus Societatis in Oriente Visitator, interiori ingredi Sinam pararet, Macao discessurus evocavit ad se Franciscum, ut eo, linguæ scilicet ac locorum perito, comite & deductore uteretur. Acceptis igitur à magistratu litteris processerat Quancheum in Quantunâ provincia, inde Macaum perreçurus, ubi cum Visitator expectabat; cum turbæ illæ, de quibus memini modo, & quibus interceptus periit, contigerunt. Inter ceteras ejus virtutes eluxit insignis in gravissimo tormento patientia, cum extremi pedes duplici vecte ligneo inclusi ardentissime confringerentur, & incusso vectibus malleo, lacerarentur: deinde cum summos illi digitos confixere, immisiss inter ungues & carnem acutis arundinum fragminibus. In hac atrocissima quæstione, cujus dolor tristes ejulatus vel fortissimis exprimit, ne ingemuit quidem. Quin, socios hortabatur meminissent se Christiana lege prohibitos, ne ulla cruciatuum acerbitate adduci se paterentur ut veritatem levissimo mendacio violarent.

* Anno 1589.

* Suprà. §. II.

* Ad Rom. c. i.

VEXATIONEM hanc Societatis biennio post excepit altera. Fanum idoli celeberrimi conflagraverat in urbe Nankamo, ubi sedem optime constitutam ab annis aliquot Societas habebat. Sacerdotes sani ac præsidēs, ut illud instaurarent, millibus aureorum decem sumptum assimaverant, viritum à civibus exigendum. Christiani profitebantur impediri se religione, quomòdus ad profani delubri ædificationem quidquam de suo contribuerent. Visa est ethnicis compluribus optima ratio eludendæ quæstorum molestiæ: Christianos se simularunt. Frigebat opus. Incensi diuturno in Christianum nomen odio sacerdotes & operis præfecti, coitionem faciunt cum infimo Litteratorum ordine, perquam numerofo, de Societate pellenda, & delenda Christi lege. Offerunt supplicem libellum supremo Mandarinum. Accusationis capita hæc erant: Legem Christianorum novam esse, Diis patriis inimicam, fabulosam & ridiculam, quæ Deum cruci affixum proponeret. Patres Matthæum Riccium, & Manuelem Diazium, notissimos esse præstigiatores, qui præsentissimis veneficiis fascinare non solum plebem, sed Mandarinum ac ductores copiarum, quos occultis artibus adigerent in sua verba. Eandem esse Patrum aliorum, qui versabantur in reliquis provinciis, vitam & institutum: nihil esse aliud illis omnibus propositum, nisi ut aucti numero, pollentes viribus, certissimam Imperio Sinensi perniciem conflarent: recenserunt jam una in urbe Nankamo amplius viginti Christianorum millia: nihil deesse ad justum exercitum, nisi ducem: ac ne defuturum quidem illum, si adsit occasio: Patres viginti, qui Nankami degerent, totidem duces seditioni futuros: præteritis ac recentibus exemplis doceri, quid in posterum metuendum sit: jacere interim neglectos Deos, deserta templa, obliteratas majorum consuetudines; ac debitum mortuis parentibus honorem ubique exolescere.

His fuse ac dolenter explicatis, orabant ut supplicium de patriæ ac religionis hostibus publice sumeretur: aut si tam scelesto sanguine manus pigeret inquinare, deportarentur saltem in remotum aliquem & nudum scopulum, ubi pœnas Superis & hominibus inedia consumpti persolverent. Certè, inquietabant, quamvis omni vacarent culpa, tamen vel eo solo nomine quod sunt exteri, effugere non possunt, si audiantur leges, quin pellantur in exilium, & toto imperio

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

Z z z

in

§. XII.

PERSECUTIO
QUINTA. EJUS
AUCTORES, MO-
DUS ET EXITUS.

in perpetuum faceffere jubeantur. Libello fupplice ad urbis gubernatorem delato, lis tota per viginti dies cognita diligenter, & inſtructa eſt. Dum fulmen in Patres vibrandum fabricabatur, ſuadebant amici Soerio, qui noſtrorum illic præſes, ut urbe cederet ſua ſponte: alii, ut ingenti pecuniâ ſumma litem vincere conaretur. Soerius, quod optimum factu erat, Dei patrocinium ac veritatis quaſiſit: illum precibus conciliare; hanc invitis malevolisque judicibus demonſtrare ſic eſt aggreſſus. Prodit ſordidatus, cum pileo ac veſte peculiari, quæ reorum apud Sinas propria. Poſitis humi hora integra genibus ſilens expectavit, dum loquendi copia fieret. Auditus cum faſtidio, nec ſine conviciis dimiſſus eſt. At ille tanto certius divina fidens ope, quanto minus aſſulgebat ab hominibus præſidii, privatim apud gubernatorem exponere quæ in rem erant, inſtitit. Is pro innata æquitate verum jam viderat, nec acerbius palam egerat cum Soerio, niſi ut ne videretur in eum propenſior; utque litiſ inſtruendæ ac penitus cognoscendæ rationem per otium iniret. Adverſarii, tanquam ſi cauſam viciffent, concurrabant urbem, probra Patribus, verbera ipſorum alumnis ingerebant. Chriſtianorum etiam irrumpebant domos, & ſacras imagines lacerabant. Alii Patrum obſervabant limen, ut iis aut ſubductis fuga, aut vi pulſis, omnia diriperent.

Quantum Patribus maroris creabat inimicorum improbitas, tantum iſſdem lætitiâ afferebat Chriſtianorum ardor ad defendendam, cum Fidei veritate, ſuorum magiſtrorum innocentiam. Turmatim ad judicium tribunalia concurrere parabant. Repreſſit ardorem hunc Pater Diazius, utque unis apud Deum precibus exemploque conſtantia pugnarent, admonuit. Ergo majori quam antea numero frequentare ſacram ædem, quæ a prima luce ad multam noctem admittebat undam ſubeuntium, & remittebat: adeſſe impenſiore cura divinis myſteriis, & vîpiam Superis orando facere. Ita cauſam denique obtinuerunt. Gubernator inſtructa lite, detectaque calumnia, proceres urbis certiores facit, & quæ deprehenderit docet. Ab annis duodecim quietos agere Patres in civitate; bene de omnibus ſemper fuiſſe meritos; nihil in eorum doctrina reprehendi, aut vita; fratres demum & amicos eſſe Matthæi Riccii, tanto florentis apud Imperatorem honore, apud omnes probos gratiâ, ob virtutem & eruditionem. Hujus, inquit gubernator, agitur cauſa: nec, ſi quid inferetur fratribus ſuis damni aut dedecoris, inultum proculdubio patietur. Nos vero cur homines in aulam acceptos, omnium ornatos judicio & approbatione, nullius criminis convictos, Nankamo pellemus, & labem injuſtitia graviffimam nobis inuremus? Sub hæc adverſariorum mendacia ſingillatim explicat. Non viginti, ut jaſtabatur, Patres Nankami degere, ſed duos treſve duntaxat. Qui prædonum inſtar inſidere flumina & piraticam facere dicebantur, eos in oculis civium profeſtos Pekinum, nullo cuiquam illato damno; ſimiliter indidem rediſſe. Alia id genus plurima fuiſſe per calumniam conſicta demonſtravit.

22.
Quomodo ſententia ſecundum Patres dicta. Eorum in adverſarios lenitas.

Palam tamen ſecundum illos dicere ſententiam non audebat, veritus adverſariorum numerum & furias, quæ in ſeditionem haud dubiam erupturæ videbantur. Itaque nec nihil Patribus negare, nec omnia concedere placuit. Die conſtituta, pro valvis oppidi & in plateis frequentioribus decretum apparuit, gemini tribunalis, ac præſecti urbis, ut proximi judicis, ſigillo munitum. Sententia ſcripti hæc erat: Examinatam fuiſſe diligenter Manuclis Diazii ejuſque Sociorum cauſam. Homines eſſe probos, a quibus nihil ſceleris dolive admiſſum fuiſſet. Quamobrem licere quidem illis in oppido manere, ac ſuis uti moribus: quia tamen imperita plebs, & avida novitatis, ad eos audiendos, non ſine popularium religionum contemptu conſuebat, intereſſe publicæ tranquillitatis ut ne docerent prætereâ, neve peregrinam promulgarent legem; ne domum ampliorem compararent; ne cœtus Chriſtianorum frequentes, præſertim nocturnos, haberent. In edicti clauſula negotium dabatur ædium & viarum curatoribus, ut civium ſcrutarentur domos, auferrent piâs imagines, ac violatores edicti, quibus graves irrogabantur pœnæ, denuntiarent. Haudquaquam deterriti fuerunt hoc edicto Chriſtiani quominus ſolito etiam frequentiores ventitarent in templum, & ad cœtera pietatis officia convenirent. Imo ædilibus prohibere tentantibus offerebant ſua

sua nomina, hortantes ut ea deferrent magistratum, ac se nomine Christiano accusarent: honori sibi accusationem hanc fore, pœnam lucro. Magistratus nihil in eos durius consuluit: nec parum ex ea vexatione profecit Christiana res. Primum confirmavit se multorum Fides & radices altiores egit: deinde Societatis Nankamense domicilium auctoritate publica concessum & sancitum est, quod ab annis duodecim impetrari nequiverat: plurimum etiam honoris accessit Sociis ab instituto per iudices de illorum vita & moribus examine, datoque perhonorifico publicè testimonio: demum accusatoribus multum decessit audaciæ. Itaque ubi duos tantum homines è Societate ferre animo æquo non poterant, ibi decem paulo post videre coacti sunt, nempe P. Emmanuelem Diazium, Gasparem Ferreiram, Hieronymum Rodericium; novitios quatuor, quorum institutionem & curam suscepit Rodericius; tres rei familiaris adjuutores: qui, similiter ac novitii quatuor, oriundi ex ipsa erant Sina, & parentibus Christianis nati.

Non solum is torst adversarios dolor ex aliena felicitate, quod maximum invidia supplicium est: iniusta quoque illis ignominia macula turpissima, postquam ipsorum flagitia, & adhibita ad evertendam Societatem artes nefaria patuerunt. Calumnia præcipuus artifex, dolore efferatus, scriptum atrox contra Socios vulgavit. Diazius maledico libello nihil respondit, quamvis in eo contumeliosè admodum appellatus: imo accusatores demulsi omni genere urbanitatis: idque si non impetravit ut amicos haberet, hoc saltem est adeptus, ut inimicitias occultius gererent. Modum tamen urbanitati ponendum sapientes Mandarinum, & famæ nostræ studiosi, censuerunt; satius nobis esse rati & honestius, si ejusmodi hominibus inimicis uteremur, quàm amicis. Quas justitiæ ac severitatis partes obire Socii cunctabantur, illas Deus, ultor injuriæ servis suis illata, suscepit. Ex hujus tragœdiæ præcipuis actoribus duo repentina sublata morte: alii pariter in legem divinam impotentius inveci, miserè perierunt.

Hujus procellæ rumor, nisi eâ jam sedatâ, Pekinum perlatus non est; nec levi gaudio Riccium affecit præteriti periculi significatio. Aspirabat piis ejus in aula Pekinensi laboribus Imperatoris & procerum secundissimus favor: suffragabatur Christianorum vita omni genere virtutum ornatissima, certissimum religionis veræ testimonium. Hanc ethnici admirantes, mittebant ex oppidis remotissimis, qui ab eo peterent magistros legis, quæ sanctos (ita loquebantur) faceret. Comportabant falsorum simulacra numinum, eaque ante Crucem aliquam aut Servatoris imaginem congerebant in cumulum, piacularibus flammis comburenda: dulce Superis victoribus sacrificium. Unum restare optandum Riccio videbatur, ut Imperator legem divinam cognosceret, quam si probe cognitam amare, aut saltem magni æstimare intelligeretur, totius Imperii ad Fidem adducendi non vana spes ostendebatur. At Principis ad aures aditum, uti diximus*, nulla expediebat via. Hunc felix obtulit casus. Fuerat geographica tabula primùm ab eodem Riccio composita; deinde à Mandarinum illo percelebri Lingozuno typis elegantissimis edita. In ea orbis terrarum, uti est, depingebatur; non qualem Sinarum ambitio vel incititia fingebat, qui nihil in illo fermè nisi Sinense describebant imperium; regna cetera, tanquam orbis lacinias ac fimbrias, in angulos conjiciebant. Eam ob rem nemo erat ausus tabulam hanc in aula proponere, aut ostendere Imperatori, certissimi exitii metu, si non placuisset; nec placituram apparebat. Quippe totidem veluti radios ex ejus diademate decerpebat geographus, quot regna vel parva vel majora designabat. Quantum addebatur orbi reliquo, tantum Sinis detrahi videbatur. Nihilominus eunuchus reliquis animosior vel solertior, captato tempore, Imperatori tabulam subobscurè indicavit. Qui videndi cupidus illam continuo expetiit. Postquam omnia suis metata rectè spatiis cognovit, non ausus est veritatem, licet ingratham, damnare: approbavit opus, auctorem laudavit: eique significari per Mandarinum regis geographiæ præpositos jussit, ut decem ejusmodi tabulas in sericis excudendas pannis curaret, quibus regum conclave ornaretur. Ut summa Sinensium Imperatorum auctoritas est, & apud populum veneratio, quidquid ab eis vel beneficii vel honoris proficiscitur, quantumcumque sit, immane quanti æstimatur. Riccius ferebatur in cœlum: ejus laudi-

23.
Divina lex Imperatori tandem explicatur. Inde in rotum permanat Imperium.

*Supra §. VIII.

bus omnia personabant : tabula geographica locis omnibus publicis privatique brevi proposita est. Hoc ille unum volebat : sic enim eam adornaverat , ut in margine satis lato , inter explicandas Orbis utriusque partes , intexta legerentur quæcumque ad cognoscendam religionem Christianam pertinebant. Memorabat , velut obiter & aliud agendo , ejus vetustatem & originem ; conditorem Christum ; propagatores Apostolos ; successores Apostolorum & Vicarios Christi Pontifices ; sectatores , populos & reges . Quæ omnia nota Imperatori Sinico aliter esse non poterant . Sparsa per omnes provincias tabulæ geographica recentis , neque unquam antea spectatæ fama , Litteratorum studia & Mandarinorum excivit . Jam patriam , jam Orbem reliquum aliis oculis intueri . Mox ad spheram cœlestem , ex qua terrestris apta est , attentius indagandam conversi , Riccius omnia subtiliter & ornatè explanantem audire cupidissime : ejus domum certis horis , haud secus ac scholam , frequentare . Quos magister sapiens ita erudiebat , ut lectionis prima vulgo pars a mathematica duceretur , extrema in theologiam defineret . Plurimi , dum terram contemplantur , oculos ad cœlum , in quo penitus caligabant , ac sempiterna bona intuenda feliciter aperuere : in primis adolescens nobilis è Litteratorum secta , de quo in cunis adhuc vagiente vaticinium editum ferebatur , eximium cultorem Deorum fore , ac Sinicæ religionis columen . Et fane talem se præbuerat ab ineunte ætate : nec Deorum tantum cultor egregius , verum etiam ipsis proximus Diis , propter indolem optimam & mores ad rectæ rationis normam compositos , habebatur . Mutavit repente mentem : amori profanæ religionis , odium ; Numinum venerationi , contemptus successit . Neque sibi satisfacerebat ipse , nisi tantum in vero Numine colendo ceteris præstaret , quantum in colendis dæmonibus antea præstiterat .

24.
Sciamaia , doctoris Pauli patria, Christianis sacris imbuta.

Dum hæc agebat Pekini Sinensis Missionis caput Riccius , Sciamaia P. Lazarus Cataneus per autumnum anni MDCVIII. excurrit. Hæc doctoris Pauli patria , in feracissimo frugum & hominum solo sita , cultissimis civibus abundabat ; unde proventus ingens Litteratorum , ac proinde Mandarinorum . Illi templis , turribus , aliisque nobilitatis & opum monumentis patriam gaudebant illustrare , in eamque , vergente in senium ætate , læti revertebantur , propter natalis cœli bonitatem , tam salubris ac purgati , ut annorum octoginta pondus debilitare vires non soleret , sed eas plerique ad centesimum usque annum vegetas virentesque proferrent . Hanc metam attigerat Pauli doctoris pater , cum diem supremum obiit . Coactus igitur est , ut parenti iusta faceret , in patriam confestim redire . Pekino , ubi probata quatuor & viginti examinibus eruditio ejus & sapientia locum insignem in regali collegio adepta fuerat . Sinæ mortuos parentes solenni luctu colunt per triennium : tunc ab omni publico munere feriati , silentio ac dolori vacant . Paulus Christianæ studio legis flagrans , otiosum & iners aliis tempus in patriæ salutem vertit . P. Cataneum veteri amicitia sibi conjunctum à Riccio impetrat ; domi suæ per dies aliquot accipit : donec illi proprias compararet ædes , quas subire plebs posset , cui ad procerum basilicas aditus non est .

Commovit civitatem universam Catanei adventus , cupiditate cognoscendi quid hominis esset , quid novæ legis ac religionis afferret . Licet enim Christianum nomen jamdiu omnem Sinam pervassisset , nihilominus in hac urbe adhuc erat obscurius ; tum quod in extremo Imperii littore contra Japoniam jacet ; tum quod famam & sanctitatem Christianæ legis obtinere nitebantur sacerdotes profani & avari : è quibus alii verebantur ne unus & peregrinus Deus suos tam multos , patriosque vinceret : alii , ne dilapsis Deorum cultoribus , carendum sibi quaestuosâ pietate , ac mendicandum foret . Nec vanum esse terrorem statim apparuit . Nam cum Paulus parentis funus duceret , vocati ad exequias non sunt , nec locupletati donis amplissimis , & auro , quod è mortuorum corradere cineribus ferales Harpyiæ consueverant . Hoc dolore exanimati discurrunt per totam urbem , clamitantes , quæcumque tandem esset hæc nova religio , ab ultimi Occidentis apportata finibus , dubitari non posse quin sanctissimis naturæ legibus , & patriis institutis omnino repugnaret , quæ nimirum & filiorum in parentes pietatem , & obsequium mortuis debitum majoribus convelleret . Ea voce , quasi classico , excitata

citata civitas infremuit: vixque auctoritate multa & prece doctor Paulus effecit, ut Cataneus audiretur. Auditus est multò avidius. Incredibilis ad eum diu notuque concursus, ex oppido vicinaque tota factus per menses duos: ut ipsi spatium respirandi non esset. Quantum profecerit, docuere statim ducenti ethnici Christiana professi sacra; tum, procedente tempore, viginti circiter eorundem millia, quæ deinde florentissimam Ecclesiæ Sinicæ partem conflaverunt. Ac fuisset initio fortasse messis animarum longè copiosior, si, ut postulabat Cataneus, aliquem habuisset è novitiis, qui Nankami debebant, adiutorem. Verum obstitit Riccius, nihil detrahendum existimans ex integro biennio, quo tirones in Societate ad subigendas animi perturbationes, ad obedientiam, despicientiam sui, usum cum Deo familiarem, instituuntur, omni alia occupatione, quæ foras prodit, soluti: tanto scilicet utiliores animabus postea futuri, quanto sanctiores.

Vicem eorum, quos postulabat Cataneus, tironum impleverunt neophyti, quorum vita honestatis omnis erat speculum clarissimum: in quo non solum cernebant perditissimi quique, quod non erant ipsi; verum etiam quod esse debebant, ac poterant. Fuit spectaculo & admirationi senex annorum octoginta. In sacro renatus fonte, stetit postridie ad templi valvas, cum numero civium grege, qui omnes cum illo sanguine juncti erant, filii, nepotes, cognati. Rogatus quid sibi cum istis vellet; Christiani ut essent, id unum velle se respondit. At Mandarinus Paulus probroso cultoris idolorum acerrimi scripto lacessitus, religionem peregrinam illi exprobrantis, susceptæ Fidei rationem reddidit, argumentorum tanto robore, ut iis assentiri cogereetur ethnicus. Quod ratio inchoaverat, caritas absolvit. Ægrotantem aliquanto post invisit idem Paulus, & eam denique religionem esse veram, quæ inimicos amare sic doceret, persuasit. Accessere ad illustrandam veritatem nonnulla prodigia. Mulierem grex Erebi tenebat obsessam: somnum eripiebat oculis, cibum ori, sensum menti. Errabant infestas per ædes monstrorum ignotorum formæ luridæ: conspiciebantur ignes sine fomite: vulnera sine manu incutiebantur. Taosii (genus ibi hominum est ad abigendos lemures adhiberi solitum) raptati ab importunis larvis, & verberibus affecti, senserant pestem, non depulerant. Mulier Fide Christi & mysteriis initiata, cum primum Crucis salutare signum sublata formavit manu, continuò Tartarea caterva in aream ædibus circumjectam abscessit. Inde tumultuari quidem, & ora furialia proferre, sed furtim ac procul. Denique suscepto à femina, sacramento lucis, tenebrosum agmen prorsus evanuit.

Duobus annis ita Sciamaiæ transactis, Cataneus Christiani gregis curam Paulo doctori concedidit: & ad novam Ecclesiam in Chekiamensi provincia fundandam profectus est. Nankino transiens obvios habuit gratulantes Socios: nec ei minus, quod iisdem gratularetur, fuit. Creverat majorem in modum Nankinensis Ecclesiæ fortunata soboles, nec tantum numero, sed verarum studio & exercitatione virtutum. Recentiores Christiani veteranis incitamento erant; veterani, exemplo recentibus: utrique flagrabant ardore incredibili amplificandæ religionis. Unus neque litteris, neque genere aut arte ulla præstans, viginti ethnicos Patribus obtulit: prædam exigui, quod cum illis confecerat, itineris & præmii. Ignem hunc sacrum in Fideli grege duæ res præcipue fovebant: sodalitiū in Deiparæ honorem institutum iisdem legibus, quas Pekinensi sodalitati Riccius præscripserat: deinde usus Exercitiorum Spiritualium, eorum præsertim quæ ad primam, uti vocat S. Ignatius illorum conditor, hebdomadam pertinent. Eorum ope ad pristinam revocatus pietatem est ille, de quo meminimus antea*, Ignatius Chiutaisus, tam bene de Christiana re meritus, sed ingenii & præyæ curiositatis vitio revolutus ad pristinam chemicæ artis vesaniam; in eoque totus ut potionem inveniret, cujus beneficio canos exueret senex, & nova juventute quasi redivivus pubesceret. Quem minime quærebat, mentis vigorem reperit in piis illis meditationibus: quibus ea vis inest usu quotidiano comprobata, ut anima, deposito veluti senio, & vitiorum consuetudine, tanquam rubigine, deterfa, novam induat vivendi formam, & in aliam feliciter mutata juvenescere videatur. Ad eas tam salubres animabus exercitationes usurpandas adducebantur litterati hamo suo, nempe

25.
Nankinensis
Ecclesiæ ubert-
tas.

* Suprà. num. 21.

nempe litterarum esca. Sic Mandarinus longe celeberrimus feliciter captus est. Eum in Imperio Sinenfi locum obtinebat, quem in Europa nostra regum cancellarii, & sigilli regii custodes: ingeniosus; utque sunt Sinicæ litteræ, doctissimus: idem recti verique tenax. Easdem dotes cum in nostris observasset, utebatur illis perquam familiariter, sed caute: semper iis elabens; ac detorta aliud argumentum oratione fugitans, quoties injiciebant sermonem de religione: in falsa retinenda pertinax, in vera oppugnanda debilis: at satis tamen moderatus ut tacere de utraque posset. Videbat hoc P. Alfonsus Vanonius, & omnem hominis captandi aditum pridem explorabat. Sphæram illi Armillarem muneri mittit, elegantissime compactam. Magnas enimvero Mandarinus gratias egit, & ad arcana illa cœlestium globorum cognoscenda penitus animum appulit. Quin, vero, inquit Vanonius, erigis te supra ipsa sidera, ut ipsum auctorem cœli dominumque contemplere? Hic astra homini, hominem sibi condidit; colendus nobis dum vivimus; fruendus, postquam vixerimus: sed coli, nisi per veram religionem, non potest. Quid hanc igitur investigare dubitas? quid cessas cognoscere? Perstrictus improvisa interrogatione Mandarinus, facturum se promittit. Libellum ab eodem Vanonio conscriptum de Deo, de peccato primi parentis in posterum transfuso, de vita & morte Redemptoris, attentè legit; nec legisse contentus, meditari quæ legerat studuit; seque tandem convictum ac mutatum confessus est.

§. XIII.
OBITU P. MAT-
THEI RICCI.

Dum numero ac virtute Christi grex augetur, jacturam ingentem fecit obitu P. Matthæi Riccii anno MDCX. Non una tantum pars Missionis amplissima, sed omnium sollicitudo religiosa provinciarum in ejus ferè unius humeros incumberebat, extincto ante quadriennium Valignano, quicum curas & onera graviora dividebat. Sparfos per agrum Dominicum colonos regebat monitis, litteris solabatur, variis præfidiis adjuvabat. Domi docebat nostros recentes ex Europa linguam Sinicam perdifficilem: titones fingebat ad perfectionem religiosam: in ornanda tutandaque scriptis eruditus religione totus erat. Neminem Sinæ meminerant, post Confucium natum, illo doctiorem, aut clariorem.

Ut est tota natio humanitate non minus, quam litteris perpolita; sic multas officiorum leges habet, easque licet permolestas, publico tamen & constanti receptas usu. Stata convivia producit in multas horas, non pergracandi libidine, (est enim parsimonie frugalitatisque servantissima) sed colloquendi & dissetendi voluptate. His interesse Riccius cogebatur; adire Mandarinos & colere: quorum scilicet favore ac benevolentia stabat catholica res, & vigebat. Exacto inter hæc officia die, noctem ducebat orando, vel scriptitandis epistolis ad eos, qui omnibus è provinciis illum de religionis aut doctrinæ quopiam capite consultabant. Istis occupationibus peculiarem quandam Societatis Præpositus Generalis addiderat, perscribendi quæcumque ad Sinicam Missionem pertinerent: quæque postea in lucem à P. Nicolao Trigaltio fuerunt edita.

Tot laboribus cumulum annus MDCX. imposuit. Pekinum convenerat innumerabilis procerum ac magistratum multitudo, salutandi Imperatoris causa: quod tertio quoque anno factitant: præterea Litteratorum millia quinque, ad examen solenne, pro doctoris gradu obtinendo & laurea, eodem confluerant. Ab his fere omnibus conventus, eosdem revifere necesse habuit. Qua salutariorum laboriosa vice ejus valetudo vehementer debilitata est. Hanc penitus afflixit opera diurna nocturnaue data ægrotanti Lingozuno, percelebri Mandarinò. Ille veteri necessitudine cum Riccio conjunctus, Christianæ legis idem æstimator æquus & illustris erat. Sed indomitis cupiditatibus irretitus, funestas pedes perfringere cunctabatur*. Morbi opportunitate captata Riccius hominem demum vindicavit in libertatem, ac Leonem in baptismo nominavit: quasi prospiciens generosi pectoris invictum robur, quo per annos deinceps viginti sanctæ legis adversarios, leonis ritu, profligavit. Emerfit è vitii & morbo Lingozunus: at Riccius, dum apud ægrum diu noctuque, officii & salutis æternæ amico parandæ causa excubat, valetudinem & vitam perdidit. Imminentem interitum multo ante præsensisse creditus est. Cum renunciaret P. Nicolaum Longobardum Missionis

26.
Occasio ejus
mortis & quæ-
dam circum-
stantiæ: vitæ &
laborum syno-
psis.

* *Suprà. n. 15.*

sonis præfectum, in ordinem digestis, quas illi traderet, schedis inscripserat: P. Nicolao Longobardo Missionum Sinenſium Superiori Generali P. Matthæus Riccius earundem olim præſes: quali præfecturam illi jam non suam, & brevi deponendam mandaret. Comparare se ad supremum certamen studuit piis commentationibus, per dies aliquot repetitis, ac precationi frequentius instare: vix ut alio quàm orantis habitu à supervenientibus deprehenderetur. Totius vitæ cursum in sacra confessione relegens, simul abditos intimo sinu thesauros opum cœlestium detexit: quorum aspectus sacerdotem ejus conscientiæ arbitrum, ut ipsemet Claudio Aquavivæ significavit, incredibili voluptate perfudit. At Christiani, merentes jacturâ carissimi parentis, pars aris advoluti vota Superis faciebant pro ejus incolumitate; pars lacrymis perfusi circumstabant. Quos ille suaviter intuens angere se confessus est, ancipitemque distrahi; hinc lætitiâ, quod propius ad Christum accederet; inde tristitiâ, quod ab amantissimis filiis recederet. Hæc metamen, inquit, consolatio sustentat, quod plane confidam fore ut Christiana res eodem, quo cœpit hæcenus, pede procedat: exuent Sina injectas sibi de Europæorum ambitione, ac nefariis Imperii invadendi consiliis, suspiciones, cum nos videbunt & vivere & mori humanis opibus commodisque destitutos. Ad sanctissimi Viaticum conspectum exiliit è lectulo, pronusque Christum adorans, eundem tanto sensu pietatis affatus est, ut omnes fletu suavissimo diffuerent. Quarenti è nostris uni quo, post ipsum terris ereptum, animo futuri essent, Magno, respondit: magni enim vobis labores instant; sed magna simul parantur præmia. Cum vero alter sciscitaretur equam ipsi referre gratiam possent; Si operarios Societatis, ait, qui vobis huc suppetias venient, accipiatis qua par est caritate, ut sibi non amissos in Europa fratres & amicos, sed auctos in Sina sentiant. Significavit etiam fuisse sibi in animo scribere ad P. Petrum Cottonum, eique gratulari tot rebus, quas ad Christi gloriam & religionis catholicæ decus, in Gallia præclare ab eo geri audiverat. Hoc ut suo nomine Socii facerent, quoniam per vires & vitam non licebat, rogavit. Ad extremum cunctis bene precatus, sumpsit in manum imagines Christi è Cruce pendentis & S. Ignatii, utrique dulcia dedit oscula, & defixo in eas obtutu vivere desit V. Id. Maii. Annus agegatur trigessimus Imperatoris Vanliei; annos ipse vixerat duodexaginta, in Societate undequadragesima, in Sinenſi Missione septem & viginti.

Patria illi Macerata, Piceni civitas: natalis annus MDLII. quem postremum S. Franciscus Xaverius habuit. Tunc Indiarum Apostolus in Sinenſis Imperii limine moriens, supremis suspiriis orabat Dominum, ut maturæ jam messi colonos submitteret: ac procul dubio exoravit: cum ejus vestigia rot operarii præstantes, in quibus quodammodo visus est revixisse, paulo post sunt persecuti, atque in primis Matthæus Riccius. Ab institutione domestica & ætiorum litterarum umbraculis Romam profectus ita leges & civile jus perdidit, ut legem divinam multo diligentius perciperet. Sacra luce Virgini Matri in cœlum assumptæ adscriptus est in Societatem Jesu anno MDLXXI. Sed ejus pater, audito filii consilio, Romam contendit, ut adolescentem à religioſæ vitæ portu in seculi tempestates & naufragia rejiceret. Properantem acuta febris detinuit. Hanc ille a Deo immisſam sapienter interpretatus, mutavit mentem, iter aliud flexit; & febris quasi suo perfuncta munere, abcessit. Riccius magistrum tirocinii nactus P. Alexandrum Valignanum, postea rei catholicæ ac Societatis clarissimum in Oriente lumen, facile hausit a doctore tanto sanctiores illos spiritus, & summarum præſidia virtutum, quibus instructos esse Apostolicos viros decet. Eundem in Indiam sequutus, inchoatum in Europa theologiæ curriculum absolvit Goæ. Valignanus Indiæ Societati ab Aquavivâ præpositus, & Imperio Sinenſi veram ac pridem in eo cultam religionem restituere meditans, primum omnium viros quæſivit tantæ moli pares: sibi mundoque mortuos, quos nullius infimæ rei cupiditas teneret; conjunctissimos Numini, quos ab eo nullæ mortales illecebræ disjungerent; fortes, quos nulla frangerent pericula; impigros, quibus nullæ difficultates moram injicerent; constantes, qui negotium millies rescissum, & abruptum, millies refarcirent; vasti & capacis animi, quibus angustus Orbis terræ foret;

foret; doctrinis exultos, maximè Sinicis, qui religionis causam in litterata gente sustinerent cum dignitate; humiles, ut superbiam, quam virtutis & doctrinae fama parit, resisterent; prudentes, ut pietatis impetum certis cohiberent cancellis, & maturos securosque fructus mallet, quam praecoces & ambiguos. Talem Riccius expertus Valignanus, cum fingere Macai ac formare perrexit: omnibusque magnorum operum adjumentis privatim instructum in mediam dimicationem ac veluti solem produxit. Ut primum in illo theatro conspectus & auditus est, mutarunt mentem ac mores Sinæ. Europæorum ingenia litterasque magnè cœperunt aestimare, qui nihil antea magnum ducebant præter se ac sua; ritus Christianos & leges amare, quas oderant. Demum id, aspirante Deo, perfecit Riccius quod Augustinus maximum religionis Christianæ miraculum esse putat, ut eam sine miraculorum strepitu ac fulgore persuaderet eruditissimæ ac perspicacissimæ nationi.

Porro inter varias artes, quas vir Apostolicus ad insinuandam ethnicis pietatem usurpavit, primas facile obtinent libri ab eo conscripti. Hos elucubrari potuisse in tanto negotiorum & actuosæ vitæ tumultu, quàm videtur mirum, tam fuit nihilominus necessarium. Nam Sinæ vix unquam verba publice, præsertim de religione, faciunt; nullæ in templis conciones, disputationes in scholis, in congressibus altercationes nullæ. Examina illa quatuor & viginti, quibus ad summos honores paratur gradus, silentio peraguntur. Ineptum quippe & absurdum putant aleam tanti discriminis, in quo de hominum ingeniis, honoribus & existimatione agitur, committere linguæ volubili, verbisque aures etiam attentas prætervolantibus: satius putant eruditorum responsa litteris consignare, ut expendi per otium, neque semel tantum in aures demitti, sed oculis sapius subjici possint. Barbatos quosdam nihilominus magistros interdum reperire est, qui populum in templis ex humili sedecula de moribus obiter alloquantur: peregrinis id moliri capitale foret, neque aliam in partem acciperetur, quam si moveret seditionem, aut rempublicam convellere studerent. Jam à disputando non minus abhorrent, quam à petulantibus rixis: ac si doctores nostros in academiis vociferantes audirent, furere homines & constringendos esse vinculis arbitrarentur. Sedate colloquuntur, assentiuntur facile, oblectari ac repugnare metuunt: respondentem verò urgere acrius, & eò compellere, unde pedem referre sine pudore nequeat, non tam turpe victo putant, quam inurbanum vincenti & indecorum.

Ea cum intelligeret Riccius, animum ad libros edendos appulit. Initium scribendi à Mathematicis disciplinis fecit. Hinc doctoris Europæi celebritas, hinc fama eruditionis peregrinæ. Hoc aditu præstructo, vulgavit explicationem doctrinæ Christianæ: quo uno volumine Christum ejusque legem Sinæ didicerunt. Mandarinum Christiani pigmenta sermonis & lepores addiderant, quibus Litteratorum teretes ac delicatæ aures allicerentur. Et cognoscendi legendique studium ipsa per se materia stimulabat. Nam de natura Dei graviter & fuscè diserebatur; idque non petitis longius argumentis, sed in ipsa insitis ratione, & à communi hominum intelligentia ductis: quæ docet primam aliquam omnium rerum esse causam, nullius indigam, nulli obnoxiam, atque adeo unam; ut pote priorem omnibus, & superiorem. Sic fundamenta idololatriæ subruta. His constitutis demonstrabat primam illam causam, utpote mente & ratione præditam, certum spectare, dum quidpiam molitur, finem, coque per idoneas vias tendere: sic Providentiam ostendebat: sua igitur probitati præmia, suas sceleri pœnas esse: quæ cum in hac vita probis omnibus improbisve non persolvantur, proculdubio in futurum reservari: unde animas immortales, earumque duplicem, obita morte, diversumque statum colligebat. Postea delapsus ad primigeniam & innatam hominum reæ stirpi labem, Servatoris necessitatem, adventum, Crucem, gloriam explicabat. Negabat religionem, quæ unum sine consorte Deum doceret, peregrinam esse: hanc probabat fuisse à Sinensibus philosophis & eorum principibus Confucio traditam, sed oblitteratam paulatim temporum vitio: restitui tantummodo à Christianis, & instaurari; additis de Christo, quæ Confucius, quingentis ante Christum annis natus, rescire non potuerat. Subjecerat unicuique, hu-

27.
Libri complures à P. Mattheo Ricci Sinicè scripti.

jus voluminis capiti, quæcumque sibi à Litteratis celeberrimis fuerant identidem objecta aut quæ venire in mentem poterant homini non tardo; iisque planissime respondebat. Ad hujus libri repentinam, quasi fulguris improvisti, lucem obstupuit attonita natio; nec fuit qui caligaret in tanto lumine, præter illos quorum oculis pertinax improbitas densam noctem offuderat. Unus, infelicis cuiuspiam libelli artifex, cum Riccium allatrare tentasset, à censoribus librorum non sine ignominia repulsus est. Ornatum Europæi doctoris opus fuit eruditorum laudibus, approbatione magistratum, suffragiis totius Imperii; & sæpius recusum in Tunkinum atque ad extremos hominum Japones pervenit. Factus audacior tam felici periclitatione Riccius, Christianam de moribus doctrinam, interiorem illam & Evangelicam, proposuit in volumine peculiari, quod inscripsit *Paradoxa seu morum præcepta, Sinis hæcenus inaudita*. Hunc eruditionis & pietatis partem alii ejus generis, præsertim formandis moribus accommodati, exceperunt: qui non tantum veritatis lucem ac salutem attulere legentibus, sed etiam auctori suo vitam post obitum, nunquam in Sinarum monumentis ac mentibus intermorituram, pepererunt.

De illius funere inter Christianos fuit aliquandiu consultatum. Placuit celebrari quam maximo apparatu, quo parentari viris honoratis consuetudo Sinica jubet. Frustra nostri obstiterunt, frustra modestiæ & paupertatis religiosæ leges objecerunt. Leo Lingozunus feretrum è raro & insigni ligno consiciendum curavit: ipse ritus certos exequiarum præscripsit è more Sinico; addidere Patres cærimonias è Christiana disciplina. Pars funebri pompæ præcipua fuit publicus dolor; nec sista viri, ut omnes prædicabant, optimi doctissimi que laudatio.

Magna de loco sepulcri sollicitudo Patribus incessit. Exteros olim Sinæ ferre non poterant, nec vivos nec mortuos. Eorum superba fastidia vicerat Riccii virtus, utque vivere alienigenis impune ac morari in Imperio liceret, impetraverat: ut autem liceret iisdem in eo sepeliri, vix concedendum videbatur. Rem tentavit Lingozunus: & quia sine Imperatoris nutu ac singulari beneficio id sperare fas non erat, libellum supplicem ipsi offerendum exaravit. Mandarinum, quibus ab Imperatore data libelli examinandi provincia, rem æquissimam peti judicaverunt: imo primarius Imperii administrator existimavit hominem tam bene de publica re meritum, illustriori quodam sepulcro donandum esse. Id vero quia difficilius, a Deo ipso provisum est. Accidit per idem tempus ut eunuchus potentissimus, re male gesta, in Principis offensionem incurreret, vinculisque mandaretur. Is opibus & gratia florens magnificam struxerat sibi domum, juxtaque tumulum elegantem, columnis quatuor seu pyramidibus ornatum. Domus addita silico fuerat: hæc ut illi eriperet, titulum templi apposuerat. Explosa est hominis vanitas, ac judicatum privati templum esse nullum posse. Fiscus, annuente Imperatore, tumulum Riccio, domum Patribus, publico diplomate attribuit. Domus in adem sacran, Deiparæ conversa: illatus in tumulum est Riccius, prælata palam Cruce, sequentibus cum accensa face Christianis, tota civitate spectante.

Ejus sepulcrum elogium Mandarinorum ac Litteratorum præconia cohonestarunt: sed nihil præstantis viri nomen ac memoriam magis illustravit, quam pietas Christianorum; qui ejus exemplis & libris excitati monstratam ab illo veram virtutis viam sequi perrexerunt. Neque segnius post ejus obitum doctores Evangelici grande opus ab illo feliciter inchoatum sunt persequuri, duce præsertim P. Nicolao Longobardo, qui præses Sinicæ Missionis, & P. Matthæi Riccii successor ab eodem moriente designatus, id muneris per annos complures egregie gessit. Siculus erat, in Societatem anno MDLXXXII. adscitus. Navigaverat in Indiam anno MDXCVI. & Xaoceanæ stationi primùm præpositus, postea Pekinum à Riccio vocatus est. Aditum illi ad aures & gratiam Principis divina stravit Providentia per eosdem tramites, per quos P. Matthæum Riccium eo deductum vidimus. Inciderat eclipsis lunæ in medium anni MDCX. Decembrem. Notum est quanta solitudine defectiones solis aut lunæ observentur apud Sinas. Momenta omnia sic expendunt regii astrologi, ut si de summa Imperii ageretur.

Illorum sententias & observationes colligit astrologia præses, & suis pensitatas

28.
Sepulcrum Patribus Societatis in Sina concessum.

29.
Error astrologorum
Sinenſium
à Patribus de-
prehenſus.

ponderibus, mittit ad Imperatorem: cujus juffu tabellarii concuſant omnes provincias; admonentque Proreges de imminente aſtri deliquio. Pendent arreſtæ omnium mentes atque oculi, & fatale momentum expeſtant. Sinenſes astrologos anno MDCX. divinatio ſua ſefellerat: totâ horâ deerraverant. Detectus error à Patribus, & ipſo eventu comprobatus, graviffimam offenſionem populo, ſtomachum Imperatori, astrologis periculum moverat; quorum negligentia capite pleſtitur, inſtituto gentis. Imperatorem ſupplices adeunt, noxam inſimis precibus deprecantur: non ſuum hunc, ſed aſtronicarum tabularum errorem eſſe, quibus dum religioſè inſiſtunt, lapſi turpiter ſunt. Orant jubeat illas emendari, & inuſtam Sinenſis famæ, atque eruditioni, notam deleri. Circumſpicienti Principi quibus hanc tanti momenti provinciam imponeret, nulli occurrebant præter Societatis Patres, quorum jam perſpexerat inſignem doctrinam. Sed peregrinum obſtabat nomen; & verò pudor, ſi exteri doctores præ indigenis adſciſcerentur. Conſilio cum præcipuis Mandarinis habito, placuit curam hanc Patribus ita demandare, ut ſimul iis adjungerentur Sinenſes astrologi Paulus & Leo Mandarini. Non poterant optatioribus ab ipſis eligi Patribus; ambo Chriſtiani, ambo divinæ legis tutelam ſpargendæque cupidiffimi. Editum continuo ſpecimen operis eſt, regioque approbatum diplomate, ac per totum, quàm latè patebat, Imperium, cum eximia doctorum magni Occidentis laude promulgatum.

Hoc aulæ ac procerum favore incitati Socii meditabantur cumulum ſuis votis addere. Licet enim religio fuiſſet in ampliffimum admiſſa pridem Imperium, licet ſuis illi honor ubique haberetur, nullo tamen ſtabili fundamento nitentur. Magiſtratum avaritiæ, invidorum obreſcitioni, fraudibus & injuriæ malevolorum patebat. Caput erat obtinere imperatorium diploma, quo jus quoddam certæ poſſeſſionis illi tribueretur. Libellum igitur in hanc ſententiam componunt, Imperatori offerendum. Rogabant ut eodem ſaltem eſſet religio Chriſtiana jure, quo aliæ quædam ſectæ, quæ licet peregrinæ pariter, & à præſcis Sinenſium inſtitutis alienæ, publica tamen, & idoneis munita præſidiis libertate fruebantur. Libellum amicis Mandarinis oſtenderunt. Nemo conſilium approbavit. Hortabantur omnes potius ut pergerent moderationem eam adhibere, quam hætenus tenuerant: illos in ſuſpicioſa, ſuperba, inimica gente verſari: fugiendam eſſe vel minimam ſectæ, factionis, & conventûs umbram. Nunquam Imperatorem adductum iri ut ſponte legem, flagitiis domeſticis adeo contrariam, probaret. Addidit doctor Paulus, interiori conſilio Principis intereſſe ſolitus, vix unquam regni adminiſtros convenire ad deliberandum de ſumma reip. quin primum omnium ageretur de pellendis Macao Luſitanis: terque hoc anno datos Imperatori ſupplices libellos contra Societatis Patres, quòd ipſi quoque cenſerentur inter Macaenſes: miraculo eſſe quòd ſtarent ac florent, tot odiis ac ſuſpicionibus obvallati: ſuſpectas eſſe illorum extra Pekinum in vicinos pagos, ad tradenda Fidei elementa, excuſiones; quaſi turbam & ſequaces colligerent.

Socii morem rectè conſulentibus amicis geſſerunt, ac P. Vanonio ſignificaverunt, ut frenos ardori Chriſtianorum injiceret. Illis hortantibus templum Nankini ædificandum ſuſceperat, & facilius opinione citiusque conſtruxit: non urgentibus tantum neophytis, quorum pietati ægrè temperabat; verùm etiam ipſis ethnicis adjuvantibus. Vicinæ quædam ædes erant, ut pateret area commodior, evertendæ: periculofum id & opportunum ſuſpicioni. Nihilominus poſtulat a primario magiſtrato, ut ad exſtruendum cœli Domino templum domus illæ non tantum evertantur; ſed etiam ſint immunes ac ſolutæ certo jure & pretio, quod erat ſiſco penſitandum. Conceſſum eſt utrumque prolixo & honeſtiſſimo diplomate. Surgebat fabrica: vicini clamorem tollunt, magiſtratum appellant, queruntur officere luminibus ſuis ædificationem præaltam: obſtrui Bonæ Fortunæ (hoc numen illis perantiquum) iter, objecta mole tanta: nunquam deinceps illam ad ſuas ædes aspiraturam. Difficilem, ut in ſuperſtitioſa gente, nodum ſolvit unius ædilis reſponſum prudens & inexpectatum. Is à prætore conſultus, quid periculi vicinis aut damni creare templi moles poſſet, edixit, à templo quod eſſet dedicatum cœli Domino, & bonorum omnium auctori, timendum nihil eſſe; imò

imò illius umbram salutarem vicinis & urbi toti fore. Brevi stetit ædes, amplitudine, & exacto ad omnes Europæ architecturæ leges opere visenda. Frontem ædificii ornabat marmorea Crux, cujus continuo vis perspecta fuit. Hanc ethnicus è vicina domo conspiciens, tanquam funesti & inauspicati signi aspectu conturbatus, exhorruit. Vociferatur deferendam sibi domum: non posse fieri, quin oclulis etiam fenestris, influat feralis patibuli vis malefica. Hæc deplorans amicum Christianum convenit, dolorem suum ac metum indicat. Sed à Christiano admonitus quid rei Crux esset, quis in ea scelus lisset humanum, quæ virtus in salutaris latèret ligno; sic est incensus amore Crucis & Christi Servatoris, ut ad Christianorum gregem se applicuerit.

Inire novam domum non antea Sinæ consueverunt, quam inimicas humanæ quietis pestes, ut ajunt, certis carimoniis exturbaverint; ac Faustitatem votis vocaverint. Piè usurpandum sibi putaverunt in templo novo Christiani, quod suis in domibus superstitiosè usurpabant ethnici. Certus igitur dedicationi dies constitutus est, quo inventæ Crucis memoriam Ecclesia recolat; ac denunciatus præconis voce. Transvecta per populum avide spectantem templi supellex, sacræ divorum reliquiæ, & alia religionis decora. Nihil æque tamen spectantium oculos tenuit, atque modestia Christianorum & pietas, longo ordine inter symphoniacorum festos cantus procedentium. Accessit ornamentum ingens recenti templo, & Patrum ædibus: duplex nempe tabula, Sinicis characteribus aureis majoribus exarata; donum Mandarinum Christianam Fidem recens amplexi. Utraque divinæ legis commendationem, ejusque sacerdotum continebat. Hoc honoris genus apud Sinas eximium est, nec dignitatem solum ædibus, quarum foribus appenditur, sed etiam securitatem præstat. Socii hæc verba in marmore supra valvas interioris ædis collocato incisa, monumentum posteris esse voluerunt: *Nankini, in aula veterum regum Sinensum, Patres Societatis JESU posuerunt: & Deo Optimo Maximo primum templum publicè dedicarunt V. Non. Maii MDCXI.*

Templo ipso, quamvis pulcherrimo, erant ornatiores Christianorum animi: quæ templa Deus infidet præsentior, & istis faxeis longe anteponit. Tantus in omnium vita nitebat cœlestis gratiæ splendor, tam labis expers inter vitiorum illecebras virtus, ut post aliquot menses ad sacram confessionem accedentibus vix materia sacramento necessaria suppeteret. Humana omnia despiciere, cœlestia consecrari & divina, subvenire calamitosi, diligere inimicos, dulce illis ac decorum erat. Urbem trifariam Patres diviserant, ac varios neophytorum separatim erudiebant cœtus: ne, si catervatim omnes in templum confluerent, anxia calumniæ præberetur. Selegerant iidem è numero Christianorum antiquiorum, certos, quibus interiora pietatis adyta recluderent: illis tradita baptismi forma, ut eum impertirent non solum infantibus, quæ præda locuples & frequens, verum etiam ethnicis grandioribus natu, in vitæ periculum adductis, ac rite institutis. Et eorum plerisque jam erat explorata religionis veritas: at ne cognitam sequerentur, cupiditatum præstigiæ, dum valetudo & vires vigerent, obstiterant: mors imminens, discussa velut nocte, solutoque voluptatum fascino, idoneos audiendo salutis verbo reddebat. Laboratum per eam occasionem est in baptismi forma, è Latino sermone, qui hæcenus ad sacramentum ministrandum adhibitus fuerat, in Sinicum vertenda. Carent enim Sinæ litteris aliquot Europæis; tum, demptis m & n, nulla Sinica vox definit in consonantem. Itaque Latina formula vix uti poterant indigenæ. Sed cum pronuntiandi ratio in quindecim Imperii provinciis valde diversa sit, metuebatur ne Sinica vocabula significandi vim propriam & necessariam ubique non haberent. Præterea non occurrebat satis apposita vox, quæ Spiritum Sanctum, tertiam adorandæ Trinitatis personam, exprimeret. Riccius expectandum censuerat, donec diffusâ latius per Imperium Fide Christianâ, usus ipse & loquendi consuetudo ratam fixamque vocibus ad notanda mysteria necessariis significationem arrogasset. Id vero nunc demum impetratum videbatur. Itaque P. Longobardus, qui per annos quatuordecim litteris Sinicis cognoscendis operam dederat; P. Cataneus, qui septemdecim in eodem studio collocaverat; P. Vanonius, clarum inter ipsos Mandarinum, ob sermonis

30.
Primum templum Deo Optimo Maximo dedicatum Nankini.

elegantiam, adeptus nomen, collatis capitibus & consiliis, formam baptismi Sincanicam confecerunt; mox Litteratis Sinensibus Christianis examinandam tradiderunt. Ea cum ore uno fuisset approbata, in mores & consuetudinem inducta est, grandi animarum emolumento, quæ vulgato per omnes provincias, quod Patres adire non poterant, salutis remedio, sempiternam sunt vitam & felicitatem consecuta.

Id usui fuit anno præsertim MDCXI. quo referatus est religioni aditus in provinciam Chekiamensem, quæ inter Nankinensem & Fokiensem sita è regione Japoniæ, vix ulli opibus & amplitudine concedit. Hanc urbem provincie primaria palatii, templis, cœnobiis, & academiis ornatissima. Vocati à primoribus Mandarinis Patres Cataneus & Trigaltius venerunt Maio ineunte. Multos, assidua librorum P. Matthæi Riccii lectioe præparatos, in Christi familiam adoptionis divinæ sacramento inferuerunt. Hospites religiosos exceperat doctor Leo, & ipsorum adventum novo quodam sacrificio consecraverat. Quippe collecta in ædium arcam simulacra falsorum numinum, quæ olim mater, conjux, familia reliqua, jam melioribus addicta sacris, coluerant, composuit unam in struem, & flammis vindicibus absumpsit. Inter Sinarum deliria illud est opinione vulgi pervagatum, Deos humana specie provincias lustrare identidem; & agris sanitatem, opes egentibus, ingenium tardis, fecunditatem maritatis largiri. Ergo, postquam Patres Leonis Mandarinum domum venisse percipuit, continuo diditus est rumor, delapsos cœlo Deos urbem invisere: ostenditque idem Leo Patribus epistolam ad se missam ab uno è præcipuis quatuor oppidi præfectis, rogante ut sibi felicitatem tantam impertiri vellet; ac Deorum, quos habebat domi, copiam facere: deinde quærebat quo tempore, quibus adhibitis carimoniis, eos invisere conveniret. Patres risu fabulam acceperunt, imo pari stomacho & indignatione, atque Paulus & Barnabas Græcos eadem imbutos opinione repudiarunt*. Inde arripere occasionem docendi palam, quinam essent; unde, quorum, cujus nomine, venirent. Movit oratio plurimos, ac præsertim insignem Mandarinum, non semel præpositum inspiciendis provinciis; & examinum præsidem, in quibus periculum sit eruditionis. Diu multumque in cognoscendo vero Numine sudaverat, interque sectas dissentientes fluctuans, ad eas virtutes colendas curam, opesque contulerat, quibus Superum favor conciliari mortalibus creditur. At ubi differentes de religione una & vera Patres audivit, quasi oborta luce exergiscens, nunc demum se quod quærebat assecutum dixit. Unum alterumve concoquere non ita facile poterat: primum, quod Christus necem indignissimam inter sicarios pertulisset; alterum, quod Christiana lex plures unâ uxores non ferret. Docuit Cataneus humano generi, in sempiternam infelicitatem lapsos, nullum aliud remedium, præterquam in morte Servatoris exstitisse: nullam infinitæ majestati placandæ victimam parem, nisi infiniti pretii, atque adeo divinam: abditos in Christi cruce cœlestis sapientiæ, misericordiæ, & justitiæ thesauros explicuit. Ad quæ mysteria obstupescens Mandarinus exclamavit: Hoc vero divinum est: hic Deum agnosco. Nec difficiliter persuaderi sibi passus est alterum caput de uxoribus abdicandis, postquam hoc Dei lege sancitum intellexit, cujus summum in mortales imperium, & sapientissima jubendi quodcumque decet, potestas est. His obicibus remotis, susceptus è sacro baptismi fonte à Leone Mandarinum, & à P. Cataneo, Michaelis nomine donatus est, omine non vano: quo religionis futurus olim patronus & columen præmonstrabatur. Scatim augurio fidem fecit, convertendis ad veram Fidem parentibus, & communicando cum popularibus eodem beneficio, è quibus triginta Cataneus Christo dedit; aliis subinde non pœnitendo numero secutis. Unum ex illis duntaxat referam, in quo memorabilis enituit ratio divinæ Providentiæ, suos electos perlevi sæpe de causa, ut casu factum credas, in suam Ecclesiam adsciscentis. Mandarinus, ex iis qui militiam sequuntur, ita vixerat media inter arma, ut vitia militum vel ignoraret vel fugeret. Ad nominis Christiani mentionem cohorrescebat, novitatis metu; quæ ita viro sapienti fugienda sanè est, si alio quopiam vitio, quàm novitatis, laborat; neque enim dubium esse potest quin veritas nova falsitati anti-quæ sit meritò præferenda. Non semel de religione a Mandarinum Christiano in-

terpel-

S. XIV.
APERTUS IN
PROVINCIAM
CHEKIAMENSEM
ADITUS EVAN-
GELIO.

* Act. 6. 14.

terpellatus, nunquam adduci potuerat illi ut assentiretur. Saltem, inquit Christianus, hoc amico roganti non negabis, ut à vero Deo supplex petas, ne te diutius errare patiar. Hoc si facis, molestus esse desinam: verbum a me de religione nullum posthac audies. Fecit: & aræ domesticæ duas imposuit schedas: in altera veri Dei nomen, quem Sinæ Dominum cœli vocant; in altera nomen idoli sui scripserat. Tum suppliciter genu posito procumbens, & prono vertice humum sæpe feriens: Uter vestrum, inquit, verus Deus sit, me latet: ille se mihi, oro atque obtestor, indicet, atque errore me solvat. Vix ea prolocutus videt schedam veri Dei nomine notatam, ab ara suam in sinum devolare. Attonitus illam reponit: iterum ac tertio revolat, alterâ penitus immotâ. Surgit, & hinc lætitiâ, inde sancto furore incensus, idoli simulacrum dejicit, & in frustra comminuit: mox veri Numinis ac religionis caractere insignitus Felicis nomen auspiciatum fortitus est.

Sic Hancei opus Evangelicum secunda provehebatur aura: non item Xaoceæ, ubi priscam stationem Societas habebat, quam procella improvisa prope modum evertit. Ex hac urbe Socii Macaum ob negotia domestica frequentes commeabant. Illuc afferebantur ex Europa epistolæ, & necessaria rerum variarum subsidia. Contigit anno MDCXII. ut tabellarius, qui Macao litteras ad nostros deferabat, incideret in exploratorum, vias mari vicinas obsidentium, manus, cum epistolarum fasciculo. Ducitur ad Xaoensem magistratum, resignatur fasciculus. Peregrinæ litteræ prodicionis fecerunt metum. Tabellarius addicitur perpetuæ servituti: P. Longobardus exilio damnatur. Ne statim impostam à iudice lueret pœnam, obstitit Mandarinis urbis præfecti festinatus, ad maternum funus procurandum, discessit. Eo absente comperendinata est causa; mansit Longobardus in oppido, iudicii exitum expectans; tabellarius carcere conditus est. Admotis ad explicandas litteras interpretibus, nihil in iis præter negotia domestica deprehensum est. Tabellarium ergastulo inclusum juvabat omni ope Frater Dominicus Mendezius, alimenta corpori; animo pia, quibus infortunium levius ferret, monita ministrans; cum subito dirus hominem ingratum incescit furor. Est hæc miserorum indoles, ut calamitatis suæ causam conferant in quamlibet ejus occasionem, quamvis noxæ penitus expertem. Tabellarius diuturni pertractus carceris, & Patribus infensor, quod eorum ferendis litteris in hanc miseriam delapsus esset; jurgari cœpit cum Mendezio; tum probra ingerere; demum injectis manibus pulsare graviter, affligere humi ac verberare; hunc sibi tot malorum auctorem exstitisse vociferans.

Ad clamorem accurrit carceris custos: utrique catenæ injiciuntur, & abreptis ad magistratum plagæ crudeles, indicta causa, infliguntur. Mendezius in vincula reducitur, ubi longo & atroci per octo menses martyrio cruciatus est. Primus illi tortor obrigit chirurgus, & imperitus & avarus, qui lividis ac putrescentibus ob imposita verbera carnibus refecandis, immitti ludebat ferro, & remedia malo graviora in longum trahebat, ut aliquid pecuniæ à Mendezio corrauderet. Tortor alter, custodiæ præfectus; homo ferox & Mahometanus: qui postquam Christianum esse ac Societatis religiosum audivit, in eum unum omnes carceris acerbitates effudit. Igitur tribus ex omni victorum numero improbissimis deditur est, qui patientissimum juvenem pugnis, calcibus, contumeliis diu noctuque vexarunt. Laudes ab iis extorsit admiratio invictæ, tot inter injurias doloresque, patientiæ. Non cessabat Longobardus agere cum amicis, ut immerenti vincula detraherentur. Nemo è potentissimis in aula Mandarinis, etiam Christianis, Mendezii causam ausus est suscipere. Terrebat omnes Colai cuiusdam (sic regni principes administratos vocant) recens calamitas, qui redactus in ordinem, & ægre carnifici subductus fuerat, quia nescio quid Litterarum ad regem Coreæ dedisset. Ferebant verò iniquissime Sinenses tantum nobis intercedere cum oppido Macaensium usum & consuetudinem: inde peti commeatum, inde mandata, quibus regeremur, accipi. Socios, velut exploratores submissos à Lulitanis, intuebantur; & inducebant in animum nos aliquid adversus Imperii salutem perpetuo machinari. Nihilominus effectum tandem est apud unum è qua-

S. XV.
Sexta Persecutio.

31.
Frater Ludovicus Mendezius dire caditur. Patres Xaoceæ pelluntur in exilium.

tuor

tuor civitatis rectoribus, ut exemptus vinculis Mendezius in longinquam provinciam, Macao procul, amandaretur: ut irrogata tabellario pena in biennii servitutem mutaretur: ut Longobardo liceret ubivis habitare, præterquam in provincia Quantunia. Jussi etiam sunt Patres Ferreira & Diazus Xaocea cedere: quamvis eorum spectata virtus illic per annos tres & viginti, proborum omnium ac magistratuum ornaretur testimonio. Abeuntes profectæ sunt insana Bonziorum ac plebeculæ voces, in malam rem abire jubentium. Brevi tamen fuerunt ab iisdem, Deo velut cogente, revocati. Xaocea gubernator sibi a Prorege timens, cujus æquitatem Longobardus imploraverat, Bonzios aliosque Societatis adversarios, quos ad eam exturbandam auctores & adjutores habuerat, patronos & facti sui defensores apud Proregem quæsit. Mutatos præter opinionem reperit. Statim enim post discessum Patrum, torrentes imbris ac solutis nivibus gravidi, fecerant impetum in urbem, agmine quasi conjurato; dejecerant aggeres; vastitatem agris, adibus ruinam, labem muris attulerant. Limus uliginosus ex illa relictus eluvie, infecerat aerem; cujus vitio morbus pestilens multa civium capita demerserat. Quibus prodigiis (hanc enim pœnam omnes acceptam egestis Patribus referebant) eorum obtrectatores fracti & domiti, negarunt assentiri se gubernatori posse: nec moræ quidquam in se fore affirmarunt, quin pristinam in sedem restituerentur. Desitutus hoc præsidio gubernator necesse habuit rescindere judicium iniquissimum, & posteriore sententia secundum Patres data, prioris acerbiter ac dedecus abolere. Hoc duntaxat a P. Longobardo petit ut ne domus restituta possessionem prius adiret Societas, quam ipse magistratu abiisset: quod ipsi sponte Longobardus assensit.

Migraverant Nanhionem PP. Ferreira & Diazus, cum Xaocea discesserunt. Emporium est celebre in finibus provinciæ Quantuniæ, unde in interiores regni provincias aditus aperitur. Exiguam tamen sementis Evangelicæ frugem licuit ex hoc ingenti arvo colligere, propter insitas opiniones superstitiosas, quæ radices tam altas egerant, evelli vix ut possent. Animos sanè credebant immortales, unde spes affulserat inferendæ frugis bonæ in paratas cognitione rei tam veræ, tam necessariæ, mentes. Sed Pythagorea naniâ, quæ animas ab uno corpore in aliud modo humanum, modo belluinum transire docet; tanquam infelix lolium semen Evangelicum opprimebat. Mori satius putabant, quam pulicem interficere, ne videlicet patrem in eo fortasse perimerent. Bonzii magno vendebant quoddam sygraphas, animorum Deo præsidio representandas a mortuis, ut earum fiducia pulcherrimam sedem, & optimam redintegrandæ vitæ conditionem nanciscerentur. Tanto vero certiores habebantur illæ sygraphæ, quanto majori pretio parabantur. Ingens ejusmodi circulatorum numerus Nanhione debebat. Hinc Patrum votis & expectationi civitas malignè respondit. Menses aliquot egerant in hac urbe, cum improvisus Pekino Longobardus adfuit. Macaum pergebat, quo illum vocaverat P. Franciscus Passus Visitator, ut eo comite nostrorum in Imperio stationes inspiceret. Sed mortuo interim Passio, in ejus curas locumque succedens Longobardus Romam allegavit P. Nicolaum Trigaltium, qui Sinicis litteris operam Pekini dabat, hominem impigrum, & prudentem. Vela in Indiam fecit ineunte anno MDCXIII. Ad Sinas octavo post anno rediit.

Nankami fruges Evangelii uberiores exsistere. Tanta voluptate ac securitate perfundeat neophytos beatæ spes immortalitatis, ut cognati & amici parentibus gratulatum venirent obitu filiorum: quod Sinensium caritatem in liberos reputantibus, divinæ miraculum gratiæ merito videatur. Jam, illa quæ mortales inter se suavissimo necit vinculo, mutua benevolentia, eademque germana Christianæ religionis tessera, sic inter illos vigeat, ut omnium *esse cor unum, & anima una* *. Neque vero metiebantur hunc amorem duntaxat diligendi sinceritate, sed multo magis opitulandi sollicitudine; sic ut singulorum incommoda commune quodammodo malum essent. Jejuniorum præterea, ciliciorum, & flagellorum, creber ac liberalis usus, non inter juvenes modo, quorum ætas robustior; verum etiam senes. Ex eorum uno ceteros licebit cognoscere. Accesserat ad Fidem ille jam prope decurso vitæ spatio: sed gradum addebat tanto diligentius,

32.
Patris erga filiū
caritas non vul-
garis. Divinæ
predestinationis
exemplum me-
morabile.

* Añ. 4.

etius, quanto propius metam contingebat. Seniles artus terribili flagello solebat castigare, stupente familia, ictusque sæpe ad ducentos numerante. Movit eum pietas filium ejus juvenem, & amplectendæ Fidei cupiditate succendit. Baptizatus incidit in morbum, apertumque sibi salutis sacramento & Christi meritis cœlum contemplanus, hinc ardebat desiderio tantæ felicitatis; inde pudore tardabatur, cum se nihil inferre cœlo, nisi unum Christianæ vitæ diem; neque dare Christo suæ salutis auctori, nisi momenta pauca mortemque ipsam posse cogitabat. Hæc secum reputanti venit in mentem paterna in castigando corpore severitas. Imitaretur, si valeret: vires non suppetebant. Credidit paternas manus id officii præstare sibi posse. Rogat enixè patrem, ut ne filio neget id boni, quod ipse toties, tam libenter, tam utiliter usurpabat. Lætus senex, magisque spectans quid Christiano patri, quam quid ægrotanti filio conveniret, naturam à cædenda prole abhorrentem non audit; ac ducentas plagas, quot sibi vulgo infligebat, non senili manu, juveni statim imposuit; eundemque numerum, paulò ante quam ageret animam, flagitanti reposuit, incredibili utriusque consolatione.

Cum ingens & securus fieret in morientibus adultis & parvulis quæstus animarum, habebant Socii certos homines baptismi conferendi formâ & ritu probe institutos, qui depositos à medicis & ruri & in urbibus venabantur. In quo multa contingebant, quæ vim divinæ prædestinationis arcanam liquido commonstrant. Unus aliquis neophytus ex illis morientium indagatoribus, egressus pomerio, vidit efferrî sepulcralem arcam: mortuos enim sepeliunt extra urbes. Propius accedebat, cum subitus erumpit è feretro ac lamentabilis stridor. Territi vespillones fugerunt, sandapilâ humi projectâ. Neophytus accurrit, & refixâ quæ feretrum claudebat tabula, cernit puellam annorum septemdecim, orantem ne viva sepeliretur. Quærit cuja sit, cujus fortunæ, cujus patris. Serva sum, respondet; herumque appellat, ethnicum immitem & facinorosum, quem Patres diu eruditum, at pertinaciter in flagitiis hærentem, baptismo & aditu Ecclesiæ prohibuerant. Iste diuturnum ancillæ morbum ægre ferens, nec vivere illam præterea posse arbitratus, ac metuens etiam ne domi suæ moreretur, quod mali omnis esse putant, oppressam lethargo in sarcophagum conjecerat, ac sepeliendam foras expulerat. Cui Marcus (id Christiano venatori nomen) Non poterat tibi res felicius evenire: vivere hic diu non potes: ut semper in cœlo beata vivas, dabo, si mihi auscultas. Ego vero, ait puella, nihil malim: & videor agnoscere te, Marcus ille es, nisi fallor, quem audivi sæpe domi nostræ, cum hero meo Christianam religionem explicares. Vera prorsus a te dici judicabam: testisque mihi Deus est, quanta suscipiendi baptismi cupiditate flagrarem: sed voti compos esse, ac de me quidquam statuere servula non poteram, absque nutu heri: nunc me in libertatem mors vindicat. Et in æternam libertatem baptismus te vindicabit, subjecit Marcus. Qui, postquam interrogando quod opus erat, eruditam satis superque vidit, illam salutari lymphâ servam Christi fecit. Inde in vicinas ædes excurrens, vestigat ubi morientem possit, unam non amplius noctem, deponere. Nemo, qui funestare sic domum suam vellet, est repertus; cumque ipse tollere in humeros carum onus nequiret, inque urbem reportare, affedit morienti, & mortuam albescente aurora, pie composuit injecta humo. Quam dispar felicitis famulæ & infidelis heri fors! Quis cum Apostolo non exclamet, *O altitudo sapientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus* *!

* Ad Rom. c. z.

Hæc vero divini pastoris Providentia, suas oves per avios occultosque calles perquirentis, & studia Patrum accendebat, ut nulli deessent loco, nullam elabi occasionem sinerent; & Christianorum stimulabat curas, ut labores Patrum omni ope sublevarent, atque adeo æmularentur. Itaque unus quispiam, cui nomen Stephanus, è primario Litteratorum ordine, Nankamo reversus in patriam, cives suos imbuere elementis Fidei; collegit unum in sodalitiū: venturisque Patribus quasi preparavit. Alter, inter militiæ Mandarinos bellica virtute clarus, dux ad virtutem militibus suis erat: id agens ut adversus vitia non minus fortes & exercitati, quam adversus hostem, essent.

Neophytis quotidianæ concertationes erant cum Ofcianis, nec pauciores vi-

toriar.

33.
Taoſi, venefi-
corum genus.

etoria. Sunt iſti Oſciani, ſive Taoſi, genus magorum & veneficorum, illic admodum familiare. Amiſſæ rei cujuſlibet locum, aut ſublata furem, indicant; idque ambicioſo, quaſi conſulerent oraculum, apparatu. Nam certis induti veſtibus, quæ ſacerdotales noſtras aliqua ex parte imitantur, domum, unde res ablata eſt, ſubeunt, pavimentum aſpergunt aqua; odores incendunt; figuras deſcribunt humi radio magico; recitant è fumofis & amplis voluminibus longum carmen; addunt concentum, tibias & tympana, quæ tandiu pulſant, donec adſit aliquis malus ex Oreo genius, qui nomen quaſiti furis edat. Iidem proſtiterunt penes ſe poteſtatem eſſe animarum ex inferis evocandarum. Fingunt illas è ſuis tenebris nonnunquam evadere in hanc lucem ad breve tempus, ac redire in ædes, ubi corporibus fuerunt ſolutæ; invadere obvios, & quemcumque arcano verberare percufferint, hunc implicari morbo, vel mori. Ut certa redeuntium animarum dent ſigna, nocturnos in ædibus cient fragores, cæca miſcent murmura. Quo terrore exanimata diffugit omnis familia, ne relicto quidem cane, quem ſalvum velit: nec referre pedem intro quiſquam prius audent, quàm Taoſius feralem umbram in ſuos, ut jaſtat, inferos retruſerit. Porro multis cognitum experimentis habetur, nihil valere artes magicas in ædibus Chriſtianorum; imò ubicumque Chriſti quiſpiam cultor adſit. Ex quo ethnici multi prudenter colligunt magnam eſſe Numinis veri potentiam, cujuſ famuli aſpectu ipſo & præſentia vires Tartareas elidant. Quin, obſervatum fuit, cum aliquando iſti Taoſi animam Chriſtiani evocarent, auditam, Deo volente, vocem minimè luſtuofam. Interrogantibus ubinam verſaretur, reſponſiſſe in eo loco, ubi bene ſibi eſſet. Rurſum quaerentibus, an vellet adoleri chartas inauratas, quod ſolenne genti piaculum eſt levandis, ut aiunt, mortuorum pœnis; omnino reſpuebat, conteſtans ejuſmodi piacula nihil profutura ſibi, amicis etiam obſutura.

34.
Supplementum
Sociorum. Eunu-
chi concilia-
ti. Libri utiles.

Ad Socios Nankinenſes alii quinque anno MDCXIII. acceſſerunt via perquam difficili & periculosa. Edictis quibuſdam recentioribus excluſi fuerant exterius omnes, iis quos tolerabat Imperator, exceptis. Patres haudquaquam periculo territi ad iter ſe accingunt. Verum à navarcho, cujuſ fidei ſe Quancheum uſque tranſmittendos commiſerant, proditi ſunt. Ægrè per Luſitanos periculo liberati actum præclarè ſecum putaverunt quod Nankinum incolomes pervenerint: ubi continuo in perdiſcendas Sinarum litteras incubuerunt. Equiſſimis atque amantiſſimis noſtri nominis Nankinenſibus utebamur; unus duntaxat ordinis inſini Mandarinus, iſtis recentibus edictis fretus, libellum ſupplicem obtulit Imperatori; & flebili ſcripto demonſtrare conatus eſt, quàm juſtus à nobis immineret Imperio toti metus, ac præſertim Nankino: quod Imperii cor, ut Pekinum caput, appellant; & in quod inſidia Japonum oculique (nam Japoniæ finitimum Nankinenſe litus eſt) perpetuo intenti eſſent. Adjecit homo impius atroces in divinam legem contumelias, quibus virulentum opus ornandum credidit. Meticuloſus Imperator & ſuſpicax pronas aures commodare delatoribus conſueverat. Nichilominus Mandarinum ne reſponſo quidem dignatus eſt. Id ex eo creditur natum, quòd Pekini perſpecta innocentia Societatis tela invidorum in Patres conjeſta facile retundebar: & ex iis, qui verſabantur in hac primaria urbe, de aliis fiebat conjeſtura. Silentium Imperatoris, & contemptus, Mandarino ſupplicium omni cruce gravius fuit. Ad leniendas Principis ſuſpicionem & diſcutiendos metus non parum valuit eunuchorum gratia, quibus ille plurimum credebat. Qui hæcenus Europæam, ut loquebantur, ſectam Sinenſi & aulico ſupercilio deſpexerant, paulatim conciliati ſunt ſtudio viſendi machinas, & innocentes mathematicorum præſtigias. Adeuntes P. Sabatinus de Urſis multa humanitate accipiebat, & ab inani curioſitate paulatim traducebat ad ſerium de ſalute ſermonem: eumque tanta condiebat urbanitate, ut hunc ſuperbæ guſtarent aures, atque avidè haurirent. Quin etiam libros de doctrina Chriſtiana conſcriptos flagitarunt, qui per hunc modum regiam ſunt ingreſſi. Unus ex illis vereor ut huic ſpado-num gregi valde placuerit, licet omnibus ſermonis Sinici lenociniis perpolitus eſſet. Nomen libro fecerat P. Pantoja *Septem Victoria*; quia virtutes explicabat quibus ſeptem vitia, quæ vocantur Capitalia, debellantur. Inſtar ſpeculi fuit,
in

in quo fucatas virtutes suas ipsimet Mandarinum recognoscerent, qui vulgo malebant videri & audire probi, quàm esse. Contra vero germanam Christianam virtutis indolem aperuit, quæ Dei & conscientiam testimonio contenta, famam timet ac fugit; nec magnificis verbis, sed factis se commendat. Hanc vero præclaram virtutis speciem non tantum in Christianorum libris legebant ethnici, verum etiam in moribus; quorum probitatem sic habebant exploratam, ut famulis suis, Fidem Christi amplexis, rem domesticam, nummariam, omnia crederent, qui ne teruncium quidem antea illis crediderant. Quarentibus vero dominis unde olim furaces, perfidi, helluones; tam repente sobrii, fideles, modesti evassissent; respondebant, quia prius ethnici, modo Christiani sumus.

Hæc annum MDCXIII. & magnam sequentium partem tenuere: quo tempore novum Christi gregem Hancei nuper * collectum fovit auxitque P. Catanus. Et quamvis magnis articulo doloribus præpeditus agrè se commoveret, nihilominus identidem Suncianum & Sciamaiam excurrerebat, illam Joannis, hanc Pauli, Doctorum patriam: ubi consanguineos illorum ab impio Deorum inanum cultu cum aliis plerisque civibus abduxit. Ejus socius P. Felicianus de Silva, urbem amplam excoluit: ubi intra dies septemdecim ethnicos septuaginta sacro baptismate regeneratos Christo donavit, raro inter hæc nascentis religionis incubacula, & memorabili numero. Postremus hic viri Apostolici labor fuit. Ex eo quippe contractus morbus illum brevi summum in discrimen adduxit. Quare Nankinum delatus, nulla vel medicorum arte, vel Christianorum caritate, servari potuit. Post exactum in acerbissimo intestini dolore mensem, ad præmia novem annorum, quos in Sinesi vinea consumpserat, vocatus, extremum spiritum inter populi Fidelis suspiria & gemitus effudit, anno MDCXIV. Ediderat illum Lusitania: egregia indoles & indoli juncta virtus, parem maximis rebus suscipiendis, atque ad exitum perducendis, præstiterant: atas florens annorum sex & triginta longum utilis & laboriosæ vitæ curriculum promittebat. Corpus repletum triennio post incorruptum, & odore suavi manans, virtutis eximiam opinionem auxit. Anno vero MDCXXXVII. cum iterum refoderetur, deportandum in commodiorem locum, sandapilam vernantibus ramulis arbuscula complexa, quasi coronabat; atque ex humo, cui feretrum incubuerat, fons emicuit. Quæ ut feri naturæ viribus potuerint, tamen spectatæ illius probitati pietas Christianorum assignavit.

35.
Obitus P. Feliciani de Silva.

* Supra. §. XIV.

§. XVI. Imperii Sinici recens & uberior notitia.

Privata res Sinarum & domestica.

SUBJICIMUS huic libro, quemadmodum sumus initio polliciti, ampliore quam & accuratior Imperii Sinici notitiam, quæ Societatis historiæ lucem haud exiguam, uti speramus, afferet. Ac primo quidem de privata re Sinarum ac domestica; tum de publica, & imperii administratione; postremo de religione, differemus.

36. Sinici soli natura: populi vultus, vestes, domus, &c.

Magna est soli Sinici, quamvis non eadem ubique, fecunditas. Itaque pares alende hominum multitudini prope infinitæ fruges abunde ministrat. Fertilitatem hanc adjuvat colentium industria. Patentibus campos ad libellam complantant, ut aquam per incilia canalesque derivare in omnes æque partes facilius possint. Colles vero dividunt in varias contignationes planas & æquales, ut ne imber excidat inanis per pronam, & fata proruat. Illæ quasi contabulationes gradatim ab ima collis radice decrescunt apicem versus, & pulcherrimam speciem intuentibus exhibent. Auri

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

vim torrentes è montibus devolvunt. magna que pars indigenarum in eo colligendo tota est. & quamvis limo arenisque permixtum fluat, ita probum tamen ac purum est, ut obrysum putes. Inter Sinentia miracula merito locum obtinet mons Fokientis provincie editissimus, ac totus in statuæ immanis similitudinem labore incredibili scissus, formatusque. Hanc Idoli Fo statuem esse volunt, cui mons ipse sacer ac dedicatus est. Oculorum orbis multa passuum millia complectuntur: nasus in leucas complures porrigitur: manuum ac pedum longitudo par. Imbuunt ridicula populum opinio delitescere in quibusdam rupibus hominum peculiare genus, quos immortales vocant; quia, inquiunt, immortalitatis beneficium sunt à Superis consecuti. Nec pauci tanti muneris obtinendi spe, abdunt se in istas rupes; ac, ne pereant, pereunt.

Jam, si à montibus in plana camporum spatia, præsertim versus meridiem, descendas (nam Sina septentrioni subiecta horridior est atque asperior) totidem hortos intueri videberis: ita sunt culta omnia, & fertilibus referta plantis. Nam steriles, aut ad gratiam & voluptatem natas, respuunt. Artem inferendi arbores parum callent, hinc fructus, quos omnes nobiscum habent communes, saporis fere sunt eluti ac languidi. Mala tamen Punica & uvæ Apianæ nostris multum præstant: itemque pepones, quorum triplex quoddam & lucu-

Bbb

Iuculentum genus est: merum mel, merum saccharum sunt. Mala quoque aurea peculiaris multa forma & natura habent. Laudantur in primis ea, quorum rotunda moles, nec valde major nucis, pellis minime scabra, color è flavo in rubrum vergens. Eiusdem fere magnitudinis est fractus *Quantum* provinciae notissimus; nobis, ut permulti *Sinenfium* alii, plane ignotus. *Letchum* appellant. Nucleum oblongum ambit caro suavissimi saporis: carnem vestit cortex leviter & blande asper. Negant experti quidquam in Europa nasci simile huic, aut secundum. Senio rugas contrahit, ac paulum acescit, ut pruna nostratia: rugosus acidusque durat anno toto, & secundas mensas ornat. Inter arbores *Sinenfium* foli proprias, & praecipue utilitatis, merito cenferi debet illa, cujus è baccis candelas suas conficiunt. Frones miniata cordis figuram praeserunt; trunci modus mediocrius, ut ceraforum: intortiti rami, vertex rotundus ac densus. Fructum durior includit cortex, qui ultro se aperit cum bacca maturefcent. Tres unoquoque in cortice suis singulae tunice discretæ includuntur, candidæ omnes, & nucibus avellanis pares. Inest singulis nucleus, quem adeptus mollis ambit, colore, odore, densitate, simillimus febo. Igne liquefit, & ellychnio addito formatur in candelas; quæ nostratibus nulla in re concederent, si natiuum illud sebum colare ac purgare nosset indigene. Huc accedit quod ellychnium è gossipii bombyce non conficiunt, est gossipiis abundens; sed è subtili ac sicco ramulo, seu medulla junci. Inde fumosa lux candelarum, & sublivida. Est etiam arbor eximia, nec minor nucis, baccas efferens pisis pares mole, coloris leucophæi, acerrimi saporis; quibus utuntur piperis vice, ad embammata condienda. Odor baccharum adeo gravis est, ut confidere sub arbore diu nequeas, quin tentetur caput ac titubet.

Quamvis tanta sit ubique fructuum copia optimorum, libentius tamen vescuntur oleribus, quorum praecipua bonitas, & varietas incredibilis. Ea curiosè alunt: ac ne aqua irrigandis desit, scatebras omnes, rivulos, imbresque colligunt, ac veluti mæandros totidem huc illuc labore singulari & industria circumducunt. Sin arida humus fontes negat, suppeditat aquas ingens canalis, qui provinciam quamlibet perficit, ac viae militaris vicem obtinet: directus ad lineam ut plurimum, alveo lato atque alto. Hinc inde agger duplex, rudi marmore constratus, iter helciarum ac pedibus praebet. Imposita istis canalibus infinita pontium multitudo commeantibus ultro citroque transmittit. Dextra laevaue desinit canalis in sexcentos canaliculos, qui per agros fertiles evagati, pagos & oppida subeunt, aut lacus & piscosa stagna implent. In his majoribus canalibus primas ille merito sibi vindicat, qui à provincia *Quantunia* *Pekinum* usque producit, cursu per leucas amplius quadringentas semel tantum interrupto; ibi scilicet ubi mons *Mollinus* occurrit, in provincia *Kiamisa*, & ubi terrestre iter unius diei duntaxat est. Isto canali devehitur *Pekinum* annona mille navigiis. Aliarum navicularum infinita est multitudo. Totius Orientis opes innare uni canali credas. Nec minor conspicitur in aliis canalibus copia cymbarum; quas, veluti fluitantes domos, placide insident, praesertim cum longius iter conficiunt. In iisdem insitiores suas proponunt merces, ac provincia quaelibet nundinas perennes, promptas ac paratas, habet.

Fluviorum celeberrimi, maximique, duo sunt. Primum appellant *Kiamum*. Oritur in provincia *Yunmana*: *Suchuensem*, *Huquanium*, & *Nankinensem*, interfluit: ac post longissimum errorem, in *Eoum* pelagus devolvitur. Alteri fluvio nomen est *Hoangus*, quæ vox flumen croceum significat. Hunc enim colorem trahit è limo, quem colligit dum agros pluviis auctus radit. Ex ultimis Imperii, ad occasum, finibus in majorem *Scythiam*, quam *Astaticam* vulgo *Tartariam* nominant, progressus, ultra murum *Sinicum* aliquandiu elabitur, ac per eundem regressus in patriam, aquas longo sexcentarum & amplius leucarum cursu fessas exortivo mari donat, in limite provinciae *Xantoniae*. Lato incertoque saepe fertur alveo, ac multa mole vicinis urbibus & arvis parcere vix docetur, maxime ubi est soli facies humilior. Itaque ante ipsas urbes exstruunt longè à mœnibus prævalidos aggeres, cespere

convestitos, qui exundantes aquas periculosi fluminis coercerent. Id vero nunc faciunt diligentius recentis damno admoniti. Cum enim latronum dux nescio quis ante annos admodum nonaginta, urbem *Honanam* obsideret, iussit Imperator moles obiectas fluvio rescindit: quo diluvio absorptus quidem eff scariorum exercitus, at urbs vocatis in ipsius auxilium aquis pene obruta, cum vicinis late campis & oppidis, trecenta civium suorum millia iisdem sepulta ingemuit. Ceterum putes ac fontes in *Sina* & rari & parum salubres, plerique etiam falsi; quæ fuisse causa traditur cur calidam alfuverint ad potum adhibere. Longum esset enumerare varias piscium Europæ ignotorum formas, quibus & ora *Sinica* & fluvii scætant. Insigne quiddam habet aureus argenteusque piscis. Digiti molem ac longitudinem non multum superat. Mas superiori corporis parte puniceus; reliqua sic aureus est, nihil ut auro similibus fingi possit: femina, capite ac dorso dimidio candidum, deinde argenteum colorem purissimum ac nitidissimum refert. Cauda amborum non plana, ut ceteris piscibus, & bifida; sed in morem ferri glomerata & longior est. Corporis vero constitutio mire delicata: graviore odore, sono vehementiori languent, ac saepenumero enecantur: si manu atrectes, perire. *Vermiculis*, aut polline, ac filiginea pulve vescuntur.

Hæc terræ *Sinenfium* indoles. Ad incolas quod spectat, illis placet procerum, amplum, obesumque corpus; lata & exporrecta frons; oculi exigui, modice hiantes & semiaperti; nasus brevis; aures prolixæ ac patentes; substrictum os; capillus niger, caput rasum, nisi in occipito, ex quo instat unius oblongæ tania fluunt inter scapulas contorti & implexi decussatim cingunt. Barbam fovent promissam, & opimam, quantum consequi studio possunt: nam plerique jejunum ac sterile mentum est: in quo natura parcimoniam dolenter incusant, atque Europæis invident. Corporis molem vastam existimant esse dignitatis partem longe maximam, virumque strenuum & elegantem putant, cuius sella, vel lectica, est plena ipso. Oris color in provinciis *Boreis* ferè candidus; in *Austrinis* fuscus. Ununtur pileo brevi, ne aurium longitudo non pateat; rotundo, & in acumen desinente, sine ora que solem defendat, ac fronti obtendatur. Ab ejus acumine delinunt in orbem fila ferica, aut setæ puniceæ coloris eximii, quæ pro vario capitis motu venustè nutant. *Hibernis* pileis circum oras affluunt villosas pretiosaque pelles. *Mandari*, cum in publicum prodeunt, vel jus dicunt, pileum summum coronant aurea insigni bulla, vel gemma; humerosque palliolo velatos habent, quod apprimat collo fibula: collum focali cingunt. *Digitorum* ungues, praesertim minimi, excrecere patiuntur in maximam longitudinem: hoc veluti nobilitatis insigne est. Vestis interior oblonga & talaris, cui altera brevior vulgo injicitur; utraque lato & longo confringitur cingulo: ex quo saepe dependet sudarium, theca, aut marsupium. *Manica*, èo strictior quò longius recedit ab humeris, producit ad mediam usque manum, eamque operit. Crura ocreis interta semper gerunt, cum prodeunt foras, aut domi conveniunt honoris officive causa: estque grande piaculum, si quis tunc non apparet ocreatus. Consuetudinem permolestam populus excussit; retinet mordicus proceres & magistratus, ut specimen gravitatis. *Populus*, ac nobiles ipsi, cum domi exiunt ocreas, induunt calceos altiores è rudi tela vel panno ferico: illi sua sponte haerent pedibus, ore paulum incurvæ beneficio, quæ calcem tegendo stringit. *Digitalia*, & alia manuum contra frigus munimenta ignorant: vicem hanc obeunt manuleæ longiores.

Peragrina capitis ornamenta nesciunt femine. Suis se capillis comunt & ornant: cincinnis apte compositis intexunt aureos aliquando argenteosque stulos. Candidum è bombycino panno colli tegmen fauces genitus obtegit: manus prolixis involuta semper manicis nunquam exstant: oculis humi dejectis, capite leviter inclinato, molliter ac lentè gradiuntur. In exiguis & contractis pedibus summam pulcritudinis reponunt. Hoc unum student. Itaque ubi primum in lucem sunt editæ, sedulo curant nutrices, ut ipsis pedes constringant arctissime, ne quo crescere modo possint. Neque hujus tormenti, tandiu dum vivunt, est finis; est

est paulatim ipsa die mitigetur. Excogitatum illud a Sinenfibus viris, ut suis uxoriſ ambulandi ac domo proreundi facultatem, ſublata pedum parte, adimerent.

Bombycini panni magna ſuppedit ubique copia. Hunc floribus, aviculis, hominum formis, ac draconum ut plurimum, ſcitè pingunt. Sed draconum in ejuſmodi pannis, itemque tabulis pictis, & foliis Imperatoris proprium: alterum quaternis, & populo commune. Ut blattas, veſtium peſtem ac maxime velle- rum, arceant; veſtimenta & vellera comprimunt in ollis ſcilibus, diligenter obturatis, ac multo refertis pipere. Addunt herbas quaſcumque nanciſci queunt amariffimas. Funeris color albus eſt: neque fas Principibus aut populo alium induere in publico luctu. Hic apud Sinaſ corporis cultus.

In ornandis domibus ferme ſunt negligentes. Magiſtratum enim pratoria populus inſtruit neceſſaria & modicâ ſupellectile: neque illam augere Mandarini curant, quippe qui ædes illas teneant veluti commodatas à Principe; quaſque ignotis ſucceſſoribus, quandoſcumque viſum illi fuerit, coguntur tradere. Honores enim ſuos & magiſtratus nequaquam proprios ac perpetuos, ſed in caſu poſitos habent: quos ſæpe, ut veſtem, mane ſumunt; veſpere, ſi juſſerit Imperator, exuunt. Altera cauſa cur ſint in ornandis domibus parciores, petitur à conſuetudine, quæ neminem patitur in interiore admitti domum. Salutatores conſiſtunt in ingenti atrio. Ibi excipiuntur. Aula eſt patens, columnis ſulta pictis, & inornata. Aulae carent, ſpeculis, ſedilibus aſſabre compactis & ſculptis. Leſos ad pompam & apparatus non ſternunt; peccataque graviter contra leges urbanitatis que hoſpites in illud, ubi cubat, conclave deduceret. Si quis ornatus adhibetur a lautioribus, conſiſtit ille in menſis, in armariis; in conſectis è ſerico panno denſiore ac ſplendidiore plagulis, quas aſſigunt parietibus. In iis leguntur exarata majoribus literis ſententiæ morales: imagines majorum depictæ, chartæ geographicae, amœna camporum ſpatia, penicillo expreſſa, hæc illorum ſere perſtromata ſunt. Menſæ, armaria, ſupellex omnis nitet liquore peculiari obducta, quem verniſum vulgo vocant. Gummi quoddam eſt, è certa ſpecie arbore, inſtar picis aut reſinæ. Præter nitorem vividum, quem ligno conciliat, cariem quoque arceat: nec macula vel odore tetro vitiatur. Si quid adipati juris, exempli cauſa, in menſam eo liquore perpolitam deciderit, humido linteo ſic abſtergitur, ut ne veſtigium quidem vel odor exſtet. Idem variis figuris pingitur, pulcherrima varietate.

Vaſa pleraque ſunt ex argilla quadam, ſive arena, quam vulgo porcellanam vocant. Hujus triplex color: flavus, leucophæus, & candidus. Flavus, licet ceteris deterior, folius tamen Imperatoris eſt; cui addidit ille color, atque adeo nemini alii conceſſus. Leucophæa porcellana ſparſis tenere lineolis vericoloribus interſecatur, operis vermiculati ritu; quod inſignem vaſi venuſtatem aſſert. Albam pingunt floribus, maxime cœruleis, aut rubris; eidem illiſ figuræ avium & hominum, quæ ſi rudiores videntur, id non tam vitium eſt artis aut artificis, quam conſilium. Placent illis hæc picture, ut ita dicam, deliramenta, & informes formæ; quibus nec ſua tamen forma dignitate abeſt. Ceterum in duendis è qualibet materia tornandiſque aſſabre vaſis vel maximis excellunt. Audent feliciter, & ſuis numeris opus omne ſic abſolvunt, ut Europæis nihil aut perparum concedat, imo nec priſcorum opificum archetypis illis monumentis, quæ veſtuſta, poſteris viſenda & admiranda reſervavit. Porro Sinica porcellana nihil aliud eſt, quam creta quoddam genus è lapicidinis erutum. Hæc diu multumque teritur, & in tenuiſſimum redigitur pulverem: deinde aqua certa, in hunc uſum quaſita, imbutur, & in maſſam concreſcit, cujus piſtenda & ſubigenda nullum finem faciunt. Mox, rota ſigularis ope, illam in vaſa formant. Ea ſoli modico exponunt; figuris ornant; molli tectorio, ex eadem creta in pultem ſoluta, obducunt; lento demum igne excoquant: neque ante camino efferunt, quam ignis per ſe ſopitus confederit: naè à fornacis calore ad aerem frigidiorẽ repente tra-

ducta rumpantur. Quam videntur in cultu domeſtico & ornatu exiles & pauci, tam ſunt in publico apparatu & ſplendore magnifici. Quæ leges privatim ſumptum ſevere verant, aut anguſtis limitibus definiunt, publicum non jubent modo, ſed etiam juvant. Cum domo prodeunt viri primarii, præſertim ad Imperatorem aut Proregem ſalutandum; cum peregrinantur; illorum comitatus & pompa regias opes ſapit. Mandarini bombyce & auro veſtiti, geſtantur ab octo, ſex, decemve ſamulis in aperta & micante ſella. Præeunt ipſorum adminiſtri longo ordine, cum cæteris, ſacibus, aliſque magiſtratus inſignibus. Lictores clamore, minis, manu turbam ſubmovent: circumſtant ſervi frequentes cum umbellis: ſequuntur alii cum tabulis pictis, ubi aureis characteribus exarati leguntur honores & muneris, quod Mandarinus gerit, tituli: percutitur identidem certis in numerum icibus pelvis ærea, ut cuiuſque in provincia locus ac dignitas eſt: agmen ſæpe claudunt quatuor aut quinque equites. Sed nuſquam elucet ſplendidius Mandarinorum amplitudo, quam in fluminibus, cum iis devehuntur. Multitudo cymbarum, armamentorum elegantia, nautarum, adminiſtrorum & ſamulorum numerus, comœpa, ſculta gentilitia, inſignia dignitatis & vexilla, præſtringunt oculos, ac miram quandam ſpeciem & majeſtatem offendant.

Peculiari ſumptu ac ſplendore feſtos dies celebrant. Anni principium ad eum ſerè modum tranſigunt, quo priſci Romani Saturnalia; ſalutandis amicis, muneribus ultro citroque miſtandis, agitandis conviviis. Ludo, comœdiis, epulis, omnia tunc fervent. Solenne cumprimis eſt Laternarum feſtum, Idibus primi menſis celebrari quotannis ſolitum. Id nomen inde ſortitum eſt, quia paſſim in compitis, in ædium atris & feneftris, laternæ accenduntur. Nonnullæ duobus millibus nummum aureorum æſtimantur; ac plurimi proceres genium ſuum anno toto defraudant, ut ſumptum in laternam facere ſuam poſſint. Non tam accenſis intus ſacibus quam auro, pictis emblematis, & ſculptis extrâ ornamentis, lucent. Ornati moles par. Videre eſt quarum ambitus ſexaginta pedes colligat: aulas & cubicula rectè dixeris: & unica in laterna veſci, cubare, choreas agere, tragœdias exhibere poſſis. Et vero latent ſæpe in iſtis machinis hiſtriones ac præſtigiatos, qui perſonatis ſigillis humanam vocem ac motum adeo ſcite decenterque aſſigunt, ut moveant admirationem ipſis ſapientibus, & hiantem plebeculam dulciſſimo ſpectaculo teneant. Sed hæc divitum laternæ ſunt. Populus multo minores & hexagonas vulgo conficit; pedibus quatuor aut quinque altas, inauratas, ſemniſcis verſicoloribus, & encarpis ornatas. Hujus feſti origo non una proditur à Sinenſibus doctores. Ab aliis tribuitur inſigni cuidam Mandarino, qui merſam aquis ſiliam diu quaſivit, accenſis ſacibus. Lucum miſeri parentis populus, cui ob ſapientiam & æquitatem carus erat, annis conſequentibus celebravit, & in eundem locum proceſſit noctu cum laternis: unde mos in reliquum Imperium fluxit. Alii narrant unum è priſcis Imperatoribus, cum diſſuens otio ac voluptatibus curam Imperii penitus abieciſſet, à populo fuiſſe pulſum ſolio, & ejus ædes everſas, ſervatis duntaxat earum laternis; quæ ad poſteritatis memoriam in omnibus urbis regie compitis ſuſpenſæ ſunt.

Ut privatorum divitias, ita magnificentiã eorumdem & luxum Imperatores longè ſuperant. Olim rarò prodibant in publicum: poſtquam rerum Tartari ſunt potiti, lucem minus fugiunt, ac libentius crebriuſque populo ſe indulgent: in quo is, qui nunc ad Imperii clavum ſedit, ita lucem ambitioſaſque tenebras moderatur, ut Sinenſibus æque ac Tartariſ ſatisfaciat. Idem nihilominus nunquam, niſi ingenti cinctus exercitu conſpicitur. Tegunt illi latus Imperii Principes, & aulica nobilitas, auro gemmiſque fulgens: arma, equi, umbellæ, ſigna bellica, tubæ, omnia majeſtatem ſpirant. Sæpe in Tartariam venatum excurrit. Sequuntur hominum quadraginta minimum millia: procedunt obviam triginta & quadraginta interdum Tartariæ reges, officii aut tributi perſolvendi cauſa.

Non leviori apparatu progreditur ad templa, religionis ergo. Agmen ducunt quatuor & viginti tubicines, ac totidem tympanotribæ. Subeunt pari numero

mero apparitores seu feriales, cum bacillis auro minioque coruscantibus; mox doryphori centum, totidemque clavatores. Tum majores quadraginta faces, vexilla quatuor & septuaginta, milites in suas distributi turmas, Principes regie stirpis, Proreges; flos nobilitatis; multa Mandarinorum millia. Eminent etiam Sinica majestas cum Imperator Principum externorum legatos excipit. Totæ stant in armis legiones, multitudo Mandarinorum incredibilis, ordine, ut cujusque fert locus & dignitas, collocata, suisque ornata insignibus, sine tumultu, sine perturbatione. Tunc summorum præfides tribunalium, reguli, tetrarchæ, & Principes ad solium Imperatoris adstant adorantium ritu, tam demissi coram illo & humiles, quam supra populum eriguntur ipsi & asurgunt. Hoc publico splendore & magnificentia ceteras gentes merito Sinæ vincunt: licet eorum domesticas, ut ita dicam, opes in edibus, in vestimentis, in cultu quodam & elegantia vitæ Europa nostra vincat. Quod ipsi tamen Sinæ non facile concedunt; qui, suo judicio, tantum ceteris gentibus ingenio & arte omni præstant, quantum cæcis videntes, barbaris politi & exculti. Paulo aliter sentire cœperunt, cognitæ Europæis.

37. Sinarum ingenia, litteræ, libri, artes, &c.

Sane, quin valeant ingenio dubitari non potest. Imo nusquam major ingenii & eruditionis usus, atque exercitatio. Id eorum ingentes bibliothecæ demonstrant, academiæ frequentes, doctores prope infiniti, studendi contentio, præmia eruditæ constituta maxima & pulcherrima. Nihilominus post tot annorum millia philosophum mediocriter in dialecticis & Roma vetus, sub Julio Cæsare; & recens, sub Gregorio XIII. tantopere laboraverit. Medicam ipsorum Kalendarium manum admoverunt Patres Societatis: eaque Kalendarii Sinensis emendatio tantam illis conciliavit opinionem doctrinæ, tantam (quod unum quærebant) Christianæ religioni auctoritatem attulit, ut alia res nulla plus valuerit ad Fidem vel inferendam Imperio; vel adversus ethnicorum conatus defendendam.

Astrorum cognitione qualicumque plurimi utuntur ad quæstum. Volitat ubique circulatorum natio numerosa; quorum alii opes, alii felicem negotiorum exitum, alii philosophicum lapidem, alii immortalitatem spondent: eaque omnia legere se in astris rata fixaque profitentur. Spargunt per populum æque ac proceres pretiosa mendacia, tam aliis inutilia, quam sibi quæstiosa. Assignant fastos & nefastos dies, felices & sinistros, ædicandis domibus, jungendis nuptiis, itineribus suscipiendis. Ne verò præcones Evangelii, quia scientiam astrorum, etiam veriore ac sanctiore, profitebantur, superstitionis impie participes, ac ridicula divinationis adjuvatores putarentur, suarum esse partium duxerunt prædicare palam vanitatem inepte artis, & mendacis astrologiæ suspicionem edito scripto penitus a se amoliri. Consilium approbavit Imperator, satis pro sua prudentia, intelligens mores hominum & actiones ex eorumdem probitate & sapientia, non ex astris & fato, pendere; nec sidera ut imperitent homini, sed ut serviant, nata esse.

Pars longè maxima doctrinæ Sinicæ versatur in cognoscenda lingua librisque vernaculis. Nihil commune sermo Sinicus habet cum aliis orbe reliquo usitatis: sive spectentur verba singula, sive structura verborum, seu denique pronunciandi modus. Omnia vocabula paucis horis memoriæ mandare quilibet non omnino tardus potest; loqui commode, & scribere, nisi post annos complures, & laborem improbum, non potest.

Vocabulis admodum trecentis triginta tribus Sinicus lingua continetur: iisque syllaba una non longioribus, aut certè ita solitis pronunciari, ut si essent monosyllaba. Artem invenere multiplicandæ vocum significationis, non multiplicatis vocibus: ut pauca verba omnibus scientiis, artibus, sermoni erudito ac familiari possent sufficere. Id accentus diversi beneficio consequuntur. Eadem syllaba si demissa voce essetatur, si alta, si altiore; si aliter atque aliter inflexa, totidem diversos sensus induit. Itaque sermo Sinicus parum à musica discrepat, in eoque vis illius & ratio propria consistit. Quinque vulgo tonis vox quælibet afficitur; mediocri, acuto; acutissimo; gravi, & gravissimo. Sic è trecentis triginta tribus vocabulis existunt mille sexcenta sexaginta quinque. Hic numerus altero tanto major evadit, cum voces singula spiritu aspero effertur. Præterea simul junguntur hæc monosyllaba, quo fere modo è litterulis vocabula componimus. Hinc innumerabilis efficitur vocum multitudo. Neque id factis. Una phrasî alteri præposita, vel postposita, diversam sæpe sententiam parit: adeo ut que lingua eminus intuentibus appareat elegantissima, omnium opulentissima sit. Sed illæ opes non minori labore ab exteris parantur, quam aurum aut argentum è terræ visceribus eruitur à metallicis: imo ne ipsis quidem indigenis gratis constant. Totæ vita multis abit in hoc studio. Auget Sinici sermonis difficultatem, quod aliæ voces concisibendis libris serviant, quod aliæ voces quotidianæ. Qui elegantissime loquitur in sermone familiari, qui aulicæ etiam pollet facultia, is barbarus sit, ita si scribat. Denique sonis elementisque litterarum carent non paucis; ac præsertim septem, quæ respondent nostratibus litteris a, b, d, o, r, x, z, unde magna sub initium orta est difficultas in Sinensibus catholicis sacerdotibus instituendis, quia consecrationis Eucharisticæ Latinam formam efferre non poterant. Studio denique, industria, contentione multa & tempore persum est, ut Latinum sermonem assueverint utrumque pronunciare.

Plus in scribendo & legendo laboris est, quam in loquendo. Et enim diversos illos tonos uni voci attributos exprimerent, varias excogitarunt figuras, tanquam symbola hieroglyphica. Hinc infinita characterum multitudine abundat, seu potius oneratur: in quibus perdiscendis dum ætatem transigunt, præstantiorum disciplinarum studium coguntur omittere. Haud parum se profecisse vir doctus arbitratur, si legere sciat: si quindecim aut viginti millia litterularum internoscat. Litteratorum vulgus multo minori eruditione contentum est: vixque doctorem unum reperit qui dimidiam Sinensium characterum partem calleat: eorum enim amplius octoginta millia recensentur. Hinc fit, ut ceteris doctrinæ partibus percipiendis vita non sufficiat: videaturque renovatum Apostolicum vetus illud miraculum, in Evangelii apud Sinas præconibus, cum tam exiguo tempore loqui pariter & scribere condiscunt. Ad exarandas in charta litteras, utuntur penicillo, quem non manu tenent acclinatam, ut pictores, sed omnino rectum. Librum inchoant a calce. Versus ducunt singulos à summa pagina ad imam; & dextra manu ad sinistram scribendo pergunt. Chartam conficiunt è secundo ac molliori cortice arbutulæ bambucæ, que sambuco paulo major & fortior est. Corticem hunc aquâ mistum purâ terunt comminuntque: addunt alumen, glutinis loco: inde fit ut charta splendet, tanquam cerulata, nec bibula sit. Confectam è filo serico nonnulli putavere: sed artifices affirmant fila serica comminui satis non posse, ac massam in unam, & quasi pulcem, concresecere. Hoc vitiosa est Sinensis papyrus, quod facile vermiculatur; quippe nata ex arbore: arborum autem communis morbus, vermiculatio. (*Plin. lib. XVII. c. 24.*) Itaque paucis annis ingentes bibliothecæ tineæ depascunt, nec vetusta volumina dicuntur, nisi quia sunt è vetustis exemplaribus fideliter exscripta: nam libros identidem ea de causa renovant. Eosdem sæpe excutunt, exponuntque soli. Sic arceri parumper tineas, aut elidi tradunt. Atramentum conficiunt è fuligine, quam fumus lucernæ remittit. Optima fuligo illa, que concrevit ex adipe porcino, ad lucernam deusto: adduntur succi quidam bene olentes, ut odor adipis gravior exoleat: non-

nihil

nihil etiam olei, ut fuliginis partes facilius coagmen-
tentur & coeant. Ea sic oleo remissa densatur, ac fic-
cata ducitur in tenues baculos, instar cere signatoriae:
qui deinde intincti aqua, & polito marmori leniter af-
fricti, liquorem efficiunt nitentem & apprime nigrum:
plus minusve tamen, pro lymphæ, qua diluitur stra-
mentum, copia: id quod pictoribus est peropportu-
num ad delineandam in charta primam operis adum-
brationem.

Inter libros Sinicos principatum tenent quinque,
ceterorum veluti fontes; quorum primus, Xv-Kim
dictus, ejusdem est apud ipsos auctoritatis, cujus apud
Judeos Moyse & Propheta. Effata politica, & res ge-
stas veterum Imperatorum continet. His quinque sup-
paret & æque classici habentur alii quatuor, ac Confucio
elaborati, in quibus artem regnandi & bene vivendi
exponit. Hæc volumina quatuor Sine *Sunum* nomi-
nant, eaque in Latinum è Sinico sermone conversa
ediderunt Patres Societatis, cum accurata Monarchiæ
Sinenfis chronologia. Libro titulum fecere: *Confucius
Sinarum Philosophus, sive scientia Sinenfis*. Magnam
quoque auctoritatem obtinet Historia totius Imperii,
nec minorem fidem, quam historia quælibet apud nos
antiquissima & certissima. Præter istos libros innume-
rabilis est aliorum copia, de moribus, de artibus, tum
liberalibus, tum illiberalibus. Sunt etiam (si fas vocare)
pii, à Bonziis conscripti & interpolati, ad fovendos
errores miseræ plebis, & eam argento emungendum.
Non imprimunt libros, compositis & subjectis prelo, ut
in Europa facimus, litterarum singularum formis sive
typis. Auctor librum, quem in lucem edere cogitat,
describendum curat à perito scribendi magistro. Deinde
singulas operis partes defert ad scalporem, qui
eas lignæ tabellæ imponit & agglutinat. Mox ductus
omnes litterarum accuratè persequens, eadem incidit
in eodem ligno. Incisa & cætera hunc in modum li-
gneæ tabellæ subjicit prelo, ex eaque exprimuntur
tot folia, quot exempla scriptor excedere debet. Tri-
plex hujus typographiæ dos est. Prima, quod necesse
non est omnia ingentis libri exempla simul excudere,
quæ sæpe in librariorum nostrorum officinis jacent, ac
putrescunt inempta, tinearum epulæ. Altera, quod ex-
cussis tribus quatuorve millibus libri unius exemplis,
restant adhuc tabellæ lignæ quasi recentes: aut certe
levi sumptu ac negotio reficitur, si quid prelam detri-
vit. Tertia, quod emendata semper volumina prode-
unt, neque in correctores typographicos faciendus
est sumptus, haud raro apud nos inutilis, tanta est
illorum incuria!

Artes feliciter quam scientias semper exercuerunt.
Opifices apprime laboriosi sunt: iidem ad imitandum
strenui. Perisque jam in locis consuevit apertissime ho-
rologia manualia, globos ferreos excavatos, & bellico
referos pulvere: sclopetos, & alia id genus, quæ a
nobis hauserunt. Nos ab iis vicissim, ut credibile est,
accepimus nauticam pyxidem, artem nitrati pulveris
conficiendi, typographicam, & alias quasdam, apud
iplos & natas dudum & excultas. Ars nautica haud
minus opes Sinarum, quam industriam declarat. Prodi-
ditum, nec temerè, litteris est, illos multis ante Vir-
ginis partum seculis Indica perlustasse maria, & caput
Bonæ Spei detexisse.

Navigia sic ædificant, ut majorem habeant solidæ
structuræ, quam elegantis, rationem. In iis minus
depressa, & latior carina est: prora rostro caret: pup-
pis sita hiat in medio: in hunc hiatum, velut in the-
cam, demittitur gubernaculum, ut ab irruente fluctu
defendatur: illud aptis rudentibus firmant, atcollunt,
deprimuntve. Medianus malus totus proræ infidet:
malos leviores, anticum & posticum, removet à me-
dio, & in sinistro latere collocat. Tabularum rimas
non obturant pice: adhibent peculiare quoddam gum-
mi, cujus dotes duæ: prima ut ignem non concipiat:
altera, ut aquam prorsus excludat: ita ut antliâ vix
unquam utantur, & sentinam nullo negotio extan-
tiant.

Paulum discrepant navigia, quæ canalibus & flu-
viis imponuntur, ab iis quæ committuntur mari. Mo-
les prope par: fundus, seu carina, non incurvus & im-
bricatus, sed planus: latitudo navigii eadem conti-
nenter a prora ad puppim. Tabulatum, sive pons,

ut vulgo loquuntur, duplex. In superioris utroque la-
tere assurgunt septem pedibus octoive supra navis mar-
ginem complures domunculæ, minio & auro pictura-
tæ, nihil ut fieri possit elegantius. Ibi Mandarinî sæ-
pe ac proceres, familias suas habent; vivunt inter se;
ludo & conviviis per multos aliquando menses indul-
gent. Ab Australibus provinciis ad urbem regiam assi-
due commeant amplius novem millia navium, quæ uni
serviunt Imperatori: ceterarum numerum hinc aestima-
re licet. Velis ut plurimum, remis aliquando, agitan-
tur. Minores cymbas nunquam remigando promovent,
sed remum ingentem unum, modico spatio distantem
à puppi sic movent, ut pisces caudam; neque illum
unquam educunt ex aqua. Interdum alterum similem
addunt proræ, præsertim in torrentibus superandis:
quorum impetum, etiam inter scopulos & saxa hor-
rentia incredibili dexteritate frangunt.

Præter usitatos piscandi modos, excipere solent pi-
sces duplici quadam & nova ratione, altera noctu, al-
tera interdum. Lintres per tranquillam noctem propel-
lunt in lacum aut mare. Lateri linteris alligunt tabu-
lam à prora productam ad puppim, & leviter declivem
verius aquam, ita ut illam penè radat. Ea colore can-
dido est imbuta splendidissimo. Sic dispositam obver-
tunt lunæ, cujus radii repercussu splendorem tabullæ au-
gent, & ludentes summo in fluctu pisces decipiunt.
Dum enim colorem tabullæ ab aquæ superficie splen-
denti non distinguunt, proflunt in tabulam, ac sæpe
in ipsam lintrem; quam otiosus silensque piscator onus-
tam præda refert. Altera piscandi ratio plus voluptatis
habet. Corvos aquaticos ad piscatum sic erudiunt,
ut canes aut accipitres ad venationem. Eos in lintre
piscator continet quietos, donec, dato signo, evolent
in destinatum sibi amnem aut lacum. Hunc inter se
partiti, incumbunt in opus; merguntur in aquam, &
rimantur pisces: quos ubi deprehenderunt, rostro cor-
ripiunt medios, & ad piscatorem recta deferunt. Si
gravior est præda, duo tresve mutuum sibi operam præ-
stant: alii capite, alii cauda palpitantem & frustra re-
lucantem hostem invadunt, ac deportant in cymbam.
Defatigatis licet paululum interquiescere: esca tamen
illis nulla porrigitur, nisi piscatu peractio, ne futuri la-
borem fastidiant: itaque guttur ipsis, ne pisciculos vo-
rent, funiculo constringitur.

Artium omnium non solum utilissima, sed etiam
difficillima est medica. Sine illius caput in eo statuumt
ut micantis arteriæ motus incompositos, intervalla,
vim, languorem, aut æstum, penitus deprehendant.
Persuasum enim habent nihil esse vitii & perturbatio-
nis in corpore, cujus causa in sanguine non exstet,
atque adeo ex ejusdem affectione diversa cognosci non
queat. Rursus, cum sanguis in corde, tanquam in of-
ficina perficiatur, existimant varios cordis labores, &
intestina quibus vexatur bella, propter humorum dis-
cordiam rebellionemque, ab ipso sanguine significari.
Quare manum ægroti dextram aut lavam, interdum
ambas, admotis ad carpum digitis quatuor, primo ar-
ctius, deinde mollius constringunt, & per quartam ho-
ræ partem taciti, meditantibusque similes, contrestant,
modo hunc, modo illum digitum attollentes depri-
mentesve, quasi nervos cytharæ ad numeros pertena-
rent. Tum velut arcano afflati numine; Caput, in-
quijunt, tibi non doluit, veterno duntaxat levi obro-
puit. Vel: cares appetentia ciborum; post biduum re-
dibit: sero, sole occidente, torpore isto caput levabitur;
indicat iste pulsus dolores in ilibus: pro certo ha-
beo te cibum hunc avidius comedis: die quinto re-
mittere dolor. Sic de variis morborum symptomatis
pronunciant; & quidem satis commode, si periti sunt.
nam aliis malè creditur. Medici remedia ipsimet sua
componunt. Usitatissima sunt catapota: iis prolicium
sudorem; humores & sanguinem expurgant, stoma-
chum ruentem fulciunt, vapores discutunt, astrin-
gunt alvum aut laxant. Venam non incidunt, nec
detrahunt sanguinem. Clysteres à Macaensibus me-
dicis didicere: nec sane improbant, sed barbarorum
remedium appellant. Cucurbitulas non tantum hu-
meris admovent, sed etiam ventri, ad sanandum ple-
nioris intestini morbum.

Orii morbos plerisque putant è corruptis & ma-
lignis flatibus, qui carnes permeant, & auram pesti-
lentem

lentem membris omnibus spargunt. Eos porro abigi nulla ratione facilius posse arbitrantur, quam igne. Itaque veruculis candentibus perturbant lancinantque varias corporis partes, & cauteriis adurunt. Sæviunt in vos Europæi medici ferro, inquiebat Mandarinus; hic nostri nos medici torquent igne. Rationem, credo, neutri mutabunt: quia non illis perinde ac nobis illa carnificina dolet; ac tantumdem accipiunt ut nos crucient, quantum ut sanent. Certè hæc Indis omnibus opinio penitus infedit, nullum esse tam difficilem morbum, cui medicina fieri non possit igne, præsertim si quis ex intestini morbo laborat. Est ille morbus acutissimus, ac sæpe hominem de statu mentis dejicit: dira tormina, crebro cum vomitu, necem haud dubiam, nisi statim occurratur malo, inferunt. Ergo batillum candens leviter plantæ pedum admovent. Si ager ignem sensit, salva res est. Si sensum doloris nullum habet, validius incutitur batillum, & plantæ penitus comburantur, donec ab ægro gemitus aliquis extorqueatur, quo edito statim convalescit. Sin perstat immobilis & sensus expers, actum est; nec ita multo post exinguitur.

Cum remediis mitioribus est locus, ea maxime placent Sinenfi medico, quæ vim tutandi ac recreandi cordis habent. Nihil inest illis asperum & insuave: constant magnam partem è radicum & herbarum fucis utilibus; quarum præcipua bonitas in Sinenfi solo esse fertur. Inter illas, simplicia duo maxime celebrantur: primum est arboris Theæ folium. Id in calidam immittitur, eique vim conciliat mirificam ad cibos digerendos, ad abigendos vaporum fumos, & levandum onere veteroso caput. Huic frondi, qua vulgo potum temperant, adscribunt Sina quod articulorum morbis, calculo, & ischiadi non sint obnoxii. Folia maturè colligenda sunt, cum adhuc tenera, & fucci plena. Decerpuntur Martio vel Aprili, prout est anni tempestas calidior aut frigidior. Postea bullientis aquæ fumo leviter vaporantur, ut mollescant; eo imbuta distenduntur in æreis plagulis, & imponuntur igni, quo siccata contrahuntur, & minimam in molem rediguntur. Collibus gaudet hæc arbor, aut vallibus: item humo saxosa & levi. Id servant sedulo, ut eam

objiciant meridiano soli, ubicumque tandem feratur: inde vis illi major: flores habet rosæ albis aggregatis, baccas pisifabivæ similes: frondes angustas, longitudine pollicis, margine denticulato.

Gin-senum herbæ salubris alterum est genus. Plantam humanam dicas, si vocem explicare Sincicam velis: *Gin* quippe hominem; *Sem*, plantam herbarum significat. Hæc panacea Sinarum; immortale, ut aiunt, remedium; purissimus terre spiritus. Exigua est radix ad minimi digiti magnitudinem: duas in partes inferne diducitur, ut corpus humanum in duo crura: color accedit ad flavum: rugas contrahit, diutius servata, & instar ligni durefcit. Caudem attollit pilosum, tribus fere ramulis, ac nigris, præditum: frondes exiles & acutæ sunt; flos violaceus. Præterquam radicem parit provincia Leautonia Sinicæ ditionis, in Tartaria orientali. Hæc illius est virtus ut purget sanguinem, stomacho vires addat, nativum calorem accendat, & auget. Hanc, ut cetera medicamenta, temperant adhibentque ipsi medici: ac rident Europæos, qui concientiendum medicamentorum curam committant hominibus, quibus pens nihil est valeat æger an pereat. Rectè istud quidem exprobrarent, si essent ipsi eam doctrinæ facultatem usu & studio adepti, qua remedium & herbarum dotes diversas possent cognoscere: sed multorum est inficitia miserabilis: idque merito in Sinarum disciplina civili reprehendas, quod omnibus profundæ artis medicæ amplissimam faciunt potestatem; neque per certos eruditionis probatæ & examinatæ gradus, medicos suos ad publicam professionem artis tam necessariæ, quam difficilis & periculose, provehant: cum suos Litteratos tam multis & molestiis examiniibus probare consueverint; perinde quasi esset ipsis vilius vivere, quam scire. Inde fit ut quilibet litteris levissime tinctus, & unde vivat anxius, artis medicæ volumen unum alterumve paucis mensibus evolvat; tum repente doctor eximius prodeat, idque sibi arroget; ut de mortalium capite & sanitate sententiam ferat: grandi miserorum damno, quos cruciari diu & ad extremum enecare non dubitat; ut eorum morbis & morte, quoniam artem aliam non callet, pascatur & floreat.

§. XVII. Publica res Sinarum, sive Imperii administrandi ratio.

38. *Primum caput scientiæ politicæ, ac civilis Sinarum disciplina: Imperatoris & magistratuum auctoritas.*

TRIBUS maxime capitibus continetur disciplina civilis, & Imperii administrandi ratio Sinica. Primum summâ Imperatoris & magistratuum veneratione, atque auctoritate; deinde concordia populi: denique legibus quibusdam ipsorum propriis & moribus.

Imperatoris edicta existimantur sacrosancta: ejus ipsa vox oraculi vim obtinet. Ad illum quidquid quoquo modo spectat, sacrum ac venerabile est. In illius conspectum non prodeunt regie familie Principes, Proreges ac Tetrarchæ, nisi toto corpore prostrati. Neque ipsi tantum habetur id honoris genus, sed ejus folio, licet inani ac vacuo. Si tentatur morbo, præsertim graviore, concurrunt in regiam ex omni ordine Mandarini, certis induti vestibus; tactique ac merentes genua submitunt in area ingenti, sub dio. Sic perstant diurnis nocturnisque horis compluribus, pro ejus incolumitate supplicantes: neque imber, nix, frigus, æstus, valetudo ægra satis causæ cuiquam est cur absit. Laborante, inquam, Principe, nefas privato cuilibet de suis incommodis cogitare. Munera publica dispensat arbitrato suo; eoque liberius, quod nullum vendit. Porro quemadmodum honores & magistratus cuiquamque libet, mandat; sic mutat abrogatque, ut libet. Si quis parum graviter ac moderatè se gessit, censetur indignus, qui locum occupet ab Imperatore sibi assi-

gnatum, & ejus quasi personam sustineat. Pekini olim accidit, ut Colai tres (supremos regni administratos ita vocant) in munere suo questum aliquem fecisset deprehenderentur. Subito abdicare se magistratu iussi sunt, & penam ab Imperatore constitutam dependere. Uni hæc erat imposta, ut in prætoriana cohorteerberetur, & ad regie fores cum reliquis stipatoribus excubaret. Succedebat in stationem, servatis vicibus, militari cultu, grandævus & honoratus senex; ignominiam tanto molestius ferens, quanto plus honoris illi a præterentibus habebatur, memoriâ præstina dignitatis.

Id in privato minime mirandum, cum erga regie familie Principes eadem severitas adhibeatur. Unus ex illis ludi plus æquo avidus, totos dies absumentibus spectandis gallis gallinaceis inter se dimicantibus. Est hoc ludicri spectaculi genus Oriente toto frequens, & perjudicatum. Armantur illi novaculis, easque singulari dexteritate tractant: institutos à lanista gladiatores credas. Sic armati, perditu & ad necem ulque depugnant. Nec vetitum Principi ludum omnem volebat Imperator: inferendas graviorebus curis nugas, & otio distinguenda negotia non nesciebat: sed ægrè forebat consumi dies integros in ejusmodi spectaculis ab eo, quem dignitas sua non minus, quam ætas, ab illis avocare meritò debuisset. Monitum semel iterumque sed frustra, comitatu denique, fortunis, & aliis honoris insignibus exiit. Jam inde à primis Imperii temporibus cautum fuit ne quid ab istis Principibus, quorum numerus ingens, oriretur mali. Assignatur singulis aliqua civitas, in qua perpetuo degant, otio voluptatibusque

tibusque diffuentes, remoti ab omni reipublica administratione. Clientelares fundos habent nullos, neminem sibi privatim obnoxium: sumptus ad rem familiarem lautam ac splendidam subministrantur illis, stato tempore, à regis quaestoribus. Si tantisper se commovent, aut pedem efferunt ex urbe sibi assignata, perduellionis rei censentur; eosque mori jubet Imperator: non aliter tamen vulgo, quam inedia, ne sanguis regius fundatur.

Qui de Principum capite sic statuit, facile intelligitur quid in privatos possit consulere. Penes illum unum vitæ necisque jus est: nec Prorex quisquam aut senatus capite reum damnare, absque Principis mandato, potest. Instruitur causa in provinciis. Instruenda & concertata deferunt ad Imperatorem; cuius est album calculum vel nigrum jacere. Vulgo tamen sententiam à provincia magistratu latam sequitur, & ratam habet: de penæ acerbitate semper nonnihil detrahit.

Haud modicum ejus auctoritati pondus addit, quod eligere sibi successorem potest quemcumque libuerit: non solum è consanguineis Principibus, sed è populo: quod interdum est ab Imperatoribus usurpatum. Cum enim domi non reperirent, in quem transferre possent onus Imperii administrandi, acciverunt è media plebe viros excellentes, eosque rerum summæ præfecerunt: id se facere professi, non solum Imperii, verum etiam liberorum suorum causa: quibus nempe ferre præstabilis privatam rem cum dignitate servare, quam publicam cum omnium invidia & offensione perdere. Nam, inquietant, si summus fortunæ gradus, idem summæ virtutis gradus esset, excludendos eo liberos nostros minime putarem: sed cum ad hoc tantum ille sæpe valeat, ut conspectiora fiant imperantium vitia; caritas nos admonet, ut hoc dedecus a liberis nostris prohibeamus.

Vivendi ac loquendi arber apud Græcos æque ac Romanos fuit usus, quem nulla vis unquam domare, lex nulla potuit. Ille, apud Sinas, paret Imperatori ac servit. Principi licet literas & characteres ansiquare, fabricare novos: abrogare vocabula, & è medio tollere; alia edere in lucem, ab omnibus necessario in congressu familiari & in libris conscribendis adhibenda. Quid quod ultra cineres ac tumulum ejus auctoritas profertur? Mortuos auget honoribus, aut afficit ignominia; novis nominibus, dignitatibusque insignibus exornat.

Quamvis hæc Imperatoris potestas nullis videatur esse limitibus definita, provifum tamen est, quantum humana cavere providentia potest, ut ea facile ac diu abuti nequeat, nisi omnem famam, imo capitis ac vitæ, curam abiciat. Primam boni Principis dorem esse statunt æquitatem, clementiam, & benignitatem in subiectis. Imperare debet, inquit, ut pater filiis, non ut servus dominis. Hac una laude metiuntur ceteras, hæc Mandarinum, cum Imperatorem adeunt, in eo prædicare solent, omiffis aliis, aut leviter delibatis. Eandem doctores ac philosophi occinere non cessant in suis libris. Hoc famæ ac publicæ existimationis veluti freno continetur Imperator, ne quid per vim & impotentiam, abreptus cupiditatum æstu, peccet. Jam, ne recti verique ignoratione labatur, datur hæc Mandarinis facultas ut eum admoneant, si quid videatur in Imperio administrando peccare. Ita res peragitur. Mandarinum libellum supplicem componit; ac multa de majestate Principis, & suo privatim erga illum obsequio præfatus, eum obtestatur ut meminisse legum velit, ac præclara majorum exempla intueri: postea indicat in quo ab iis discedere censetur. Hæc scheda deponitur in scrinio cum aliis plerisque supplicibus libellis, qui quotidie offeruntur Imperatori. Si omittit eam legere; si negligit; iterum ac sæpius oggeritur; donec animum & oculos ad legendum adjiciat.

Ut vero non tantum præfenti moveatur gloria, sed etiam futuri dedecoris metu terreatur, ejus historia peculiari conscribitur modo, ad hunc finem perquam idoneo. Certis doctoribus, spectatæ virtutis ac fidei, datur id negotii, ut singula Imperatoris dicta factaque diligenter observent. Illi hæc perscripta, nemine conficio, quotidie in cistam conjiciunt. Omnia candidè, notatis loci, personarum, temporis adjunctis narrantur. Tali die, exempli causa, exarsit iracundia Impe-

rator, & parum decorè cum Mandarinis altercatus est. Præter jus fasque centurionem alio die exauctoravit. In re gravius momenti majorem gratiam quam æquitatis habuit rationem. Contra vero: Bellum hostibus juste indixit pro tutando Imperio: pacem honestissimam confecit: suam erga populum caritatem insigni argumento declaravit: modestiam, adulatione spera, retinuit. Hunc in modum cetera quæ quotidie occurrunt, persequuntur. Ac ne veritatem corrumpat spes aut metus, hæc cista nunquam aperitur, dum vivit Imperator, aut quandiu ejus familia rerum potitur. Cum in aliam domum ac stirpem potestas summa, ut sæpe fit, transfertur, tunc omnes illæ schedæ colliguntur; & inter se comparantur, ad veritatem certius explicandam: ac demum ex ejusmodi monumentis conficitur historia. Hoc metu coercentur imperantium auctoritas: quippe qui probe intelligant, tales se judicio posteritatis existimandos, quales ipsi se præbuerint; non quales metus, aut adulatio, alienis falsisque coloribus depinxerit. Nec minorem utilitas, quæ sæpe plus famam valet, Principi necessitatem legum observandarum imponit. Earum ita tenax populus est, ut illas Imperator convellere aut labefactare, sine certo capitis ac solii periculo, nequeat. Quandiu rationi legibusque paret, nemo fas sibi putat esse illi non obsequi; ubi à ratione & æquitate discessit, fidem omnes imi pariter ac summi abrumpunt; nec se jam regunt ipsi, quia non reguntur. Hinc intestini aliquando motus coorti, seditiones & bella domestica.

Non satis est auctoritati Principum, ut quod æquum videtur, legibus consentaneum, vestint ac jubeant: restat ut illud ipsum exequi & perficere possint. Hoc vero per suos administratos consequuntur, qui, tanquam effectrices operum manus, capiti subservire debent. Illorum ingens apud Sinas numerus, & ordine pulcherrimo distributus. Sanctius & extraordinarium Imperatoris consilium Principes è regia stirpe lecti constant: ordinarium Colai. Juri & publicis negotiis, æratio, coëptis, artibus, & religionibus præfunt sex curia supremæ in urbe regia. Earum quælibet inferiores plurimas complectitur. Sui singulis præfides & fenatores, sive Mandarinum sunt attributi. Editur Pekini quotannis illorum catalogus. Anno MDCXXIV. numerabantur novies mille quingenti triginta octo extra urbem regiam: in ea vero bis mille ducenti quatuordecim. Quia porro Imperatoris interest, ne tot Mandarinorum amplissimi cœtus, ac tantæ auctoritatis, moliri quidpiam in Principem aut Imperium aliquando possint; eum munus ac magistratus triennio, ac breviori, si visum est, tempore circumfcribitur. Deinde appositus unicuique tribunali fuit inspector & censor, qui cætibus omnibus interesset, deliberationum omnium conficiens & particeps. Imperatorem ille admonet clam, Mandarinum accusat palam: ipsorum mores sermoneque censura severitate notat, excutit, investigat: nihil aciem hominis fugit. Nefas illis censoribus ad altiorem dignitatis gradum aspirare: in eodem vulgo manent, & consenscunt: ne fortunæ spe melioris, aut deterioris metu, conniveant in Mandarinorum delictis. Nec nihil ad continendos in officio Mandarinum adjuvat, quod familiam, hæciores, accentos, & administratos juris, ipsi non eligunt; sed a Principe datos, & publico stipendio muneratos, habent. Præter Proreges, qui singulas gubernant provincias; tribus, quatuor, aut pluribus provinciis præfunt Proreges alii, quasi Proregum singularum censes: quibuscum tamen ita sapienter ac dilucide habent sua jura dispersita & descripta, ut nunquam oriatur inter utroque de jurisdictione contentio. Prorex cognoscit de moribus, & administratione gubernatorum & magistratum, qui publicam rem in urbibus gerunt; deque illis, si quid peccant, Pekinensem aulam admonet; a qua vel spoliatur magistratu, vel evocati causam dicere jubeantur. Ipsi Proregis potestatem temperat Mandarinorum, qui circumstant illum, auctoritas; ab iis enim accusari, si res ferat, potest: imo à quolibet è populo, cui jus est suas de Prorege querelas Pekinum deferendi. Si quis in provincia tumultus increpuit, culpa in eum statim confertur: ac si plus triuuo perseverat, capite culpam luit. Penam commernit, inquit leges, si familia, cujus caput est, (nimirum provincia) turbatur. Providendum ab illo fuit.

fuit ne quid oriretur mali. Quia vero privatis hominibus ad aulam aditus facilis non patet, auresque procerum, & oculos praesidium, obsistere solet, quae res humanas verit ac pervertit, pecunia; Imperator in omnes provincias dimittit certos, experta gravitatis & prudentiae, nulli cognitos; qui follester immiscent inferuntque se nautis, mercatoribus, agricolis; & explorant taciti quemadmodum se magistratus quisque gerat. Postquam idoneis auctoribus, ac praesertim fama & vulgi voce, quae raro fallit, vitii quidpiam gravioris compertum est; tum vero se ab Imperatore missos denunciant, diploma sui muneris proferunt, manus injiciunt peccantibus Mandarinis, eosque vel Pekinum mittunt, ad dicendam causam; vel in convictos animadvertunt. Mandarinorum, qui vel moti loco, vel affecti supplicio fuere, nomina per totum Imperium vulgantur, ad inurendam reis ignominiam majorem, & incutiendum integris innocentibusque metum.

Imperator ipse aliquando provincias lustrat, & populi querelas per se se cognoscit. Id summa omnium approbatione facit, qui gubernaculum Imperii nuac tenet. Narrant, cum aliquando se a suis stipatoribus, deducta opera, segregasset, incidisse in senem misere lamentantem; & rogasse quid fletet. Unicus mihi filius erat, ait senex quem alloqueretur ignorans, familiae columen, aetatis meae solatium: hunc mihi Mandarinus eripuit. Quid restat misero mihi, nisi ut reliquam aetatem in solitudine ac luctu traham? Qui enim possunt, solus, inops, ignotus, meum jus contra Mandarinum vim & opes obtinere? Hoc vero fieri, & facilius opinione tua, potest, retulit Imperator: ageris, equum conscende, & post me sede. Atollit se in Imperatoris equum senex haud cunctatus. Emensis milibus passuum sex septemve, deveniunt ambo Mandarinum domum, tales hospites haudquaquam expectantis. Interim regii stipatores, cum numerosa nobilium cohorte, Principem diu questum assequuti, pars in aedes Mandarinum cum ipso inferuntur, pars locum excubiis undequaque cingunt, adhuc ignari quid ageretur. Vocat Mandarinum Princeps, & obiecto crimine, mori statim jubet. Mox ad senem conversus; Ut orbitatem tuam consolentis, mortui locum, inquit, ac munus habe. Sed vide ut illud sanctius impleas: documento tibi sit culpa fontis & poena, ne tu vicissim alii exemplo tristi & documento sis. Sub initium anni lustratur in omnibus provinciis carceres, & victorum causa cognoscuntur a delegatis ex urbe regia iudicibus: ne quis aut ere obrutus alieno, aut legum nodis, ac labyrinthis iudiciorum implicatus, in vinculo- rum pedore contabescat. Leviorum criminum reis venia tunc libertasque donatur; succurritur oberatorum egestati; causarum difficultates ac more superantur. Vocantur hi iudices misericordiae; ac reginae matris tribunal appellatur, quamvis in eo juris ipsa nihil habeat: sed a materna benignitate, curia mitior nomen traxit.

Praeter istas artes, ad frenandam magistratuum potentiam sane luculentas, inventa est alia, quae haud scio an venerit in mentem legislatoribus etiam rigidissimis. Imposita lex Mandarinis est aperiendi candidae stas temporibus, & ad Imperatorem perscribendi, quidquid aperte vel occulte in gerendo magistratu peccaverint. Hujus legis morisque severitas e duplici capite cognoscitur. Durum est peccatum confiteri, cuius luendam tibi poenam certo scias, etsi moderatam: vix enim quisquam inultus abit. Durius & periculosius, erratum dissimulare: nam si exstat ejus aliqua mentio in inspectorem libellis, satis est culpa qualibet, quamvis non gravissima, ad hominem fortunis exuendum, aut vita. Itaque satius ducunt, finire ac sine ambagibus peccata confiteri, eorumque deprecari poenam, magna pecuniae vi perfoluta: quod remedium, supplicio vel acerbissimo par, magistratus in officio mirè continet; ac probos esse, licet aliquando ingratis, cogit. Quam Prorex in Mandarinis potestatem habet; eandem illi obtinent in populum. Mandarinus sua sponte causam quamlibet examinandam suscipit, licet nemo reum deferat. Ubicumque violari legem videt, eam sancire violentiam pena potest. In urbe, in via militari, in privatis aedibus, comprehendit aleatores, conviciatores; certantes inter se verbis

aut verberibus, & arreptos in ipso vestigio, fustibus per suos licitores contundit: quo peracto, institutum iter sedate repetit. Id vero contingit rarius propter eximiam populi tranquillitatem & concordiam, quod alterum caput est politicae Sinarum artis & disciplinae.

39. Alterum caput politicae Sinarum scientia: concordia & tranquillitas populi.

Hanc primò fovet insignis liberorum pietas erga parentes & observantia, quae fidem prope superat. Nullum est obsequii genus, quod exigere a liberis parentes non possint: nulla ratio aetatis, vel dignitatis, aut indolis parentum severioris; ob quam liberis jugum à natura impositum liceat detrectare. Pater in familia regiam quandam exercet potestatem: fortunae, cui collibitum est, donat: liberos in servitium, si eger, tradit: illos vero accusanti creditur sine argumento, vel teste. Satis in filio criminis esse ducitur, quod patri non satisfaciat: ac si accusari a patre pergat, effugere non potest quin pereat. Europaei tantam severitatem interdum admirantibus respondent. Quis puerum novit certius, quam qui genuit, educavit, in oculis & sinu tot annos tulit? Cujus autem amor est verior justiorve, colamen patris? Igitur, si ab eo qui probe illum novit, qui ex animo amat, condemnatur; a nobis absolvi qui potest? Sin obijcas, certos homines ab aliis naturali quodam odio disfidere; id vitii patris inesse quoque posse? Respondent, nos feris ipsis non esse inhumaniores, quae in catulos ulro non veniunt. Quod si monstra tamen haec inter hominum oriuntur, cicuranda esse filiorum obsequiis & humanitate. Ceterum tam alte insitus est animis paternus amor, inquit, ut eum extirpare penitus naturalis abalienatio nulla queat, nisi rebellione liberorum aut vitii irritata. Quid quod ipsis Imperatoribus tuum non est ab hac liberorum in parentes observantia recedere. Illorum unus, ut Sinicis annalibus prodium legitur, matrem durioribus acceptam verbis, & affectam contumelia, in exilium eiecerat. Cum vero satis intelligeret id molestissime ferendum a Mandarinis, edixit capitis poenam, quicumque verbum ea de re fecum faceret. Siluere paulisper, donec, ira fessente, Princeps ad meliora & mitiora consilia se referret. Postquam obfirmatum immotumque videt, erumpere decreverunt potius, quam exemplum adeo perniciosum silentio flagitioso comprobare. Primus, qui libellum supplicem ea de re Imperatori obtulit, statim capite plenus est. Ceteros praefens periculum nequaquam exterruit. Paucis diebus interpositis, procedit alter Mandarinus; utque suum sibi caput prae communi bono vile esse declararet, ferretur ad limen palatii deportari fecum iussit. Effervit Imperatorem constantia: mortis acerbiter varietate suppliciorum ac dinitate, ut alius terrorem injiceret, cumulavit. Uterius pergere non jam prudentia, sed pertinacia esse videbatur. Sinentibus aliter visum. Succedit ergo tertius, cum sua pariter sandapila. Is ubi venit in conspectum; Juvat, juvat morti, exclamavit, ne videamus Principem, qui fundamenta Imperii convellit. Si nos audire negas, pergitur ad majores tuos: illi nos audient, & eorum fortasse nocturnos Manes ac nostros, tuam tibi exprobrantes injustitiam, vel invitus audies. Exaruit majorem in modum Princeps, hominis insolentia, ut aiebat, percitus; & in eo necando ingenium omne crudelitatis exprompsit. Cum tamen alii ex aliis pulcra neci devovere se non dubitarent; subit illum metus ne quid inde sibi & Imperio periculi gravioris crearetur. Itaque, mutato consilio, revocatum ab exilio matrem in pristinum gratiae dignitatisque gradum restituit.

Non leviori mortuos parentes, quam vivos praesentesque, veneratione liberi prosequuntur. Ante mortuorum corpora millies se proferunt: funus splendidissime faciunt, tumulos adeunt certis diebus, ac perfundunt lacrymis: nomen cum elogio in lignea tabella exaratum domi servant. Statim atque parens avimam efflavit, totum conclave integitur panno rudi, ex alba cannabe; qui color funebri est. Feretrum, quod è ligno ingentis pretii, ac vulgo experte corruptionis, multo

multo ante comparatur ad viventibus, in medio conclave statuitur; erectâ defuper mortui effigie, mensaque ad latus collocatâ, ubi odores incendantur, facæque collaent. Subeunt moniti libello, certum in modum conscripto, affines & amici. Mærentes tactique genua lentè submittant, & fronte feriant humum. Subeunt excipit filius vultu mæsto, veste fordida, sane crasso incinctus, cum pileo calceisque framineis: noctem exigit ad feretri pedes, jacens in storea; vespitur cibo plebeio ac parabili, sine condimentis ac bellariis.

Per triduum tenet hic affinium & amicorum concursus: sed triennio toto domesticus luctus perdurat; quasi ad compensandos tres annos, quibus infantem filiolum, necdum valentem ingredi, pater in ulnis gestavit. Servatur interim capulus in conclavi. Nullus dies abit, quin ante illum sæpe procumbat filius, parentis memor; odores incendat, inferat cibos; quibus Bonzii, ad nenas quassam concinendas acciti, faginantur. Tunc omni vacat publico munere: deponit magistratum, si quem gerit; ac negotiis vel gravissimis penitus omissis; relicta statim, si peregrè est, urbe, atque adeo ipsa aula, domum paternam repetit, ut parenti justa solvat. Elapso demum triennio, dies fastus ab hariolis exquiritur; convocantur propinqui; proccedit funus, præcumbit tympanis ac tibis. Majorum imagines deferuntur, tum machine, pugnata & pyramides, in quibus præclara mortui facinora spectantur, vel figuris expressa, vel in tabellis exarata. Mensæ demum struuntur odoribus & epulis onustæ. Succedunt egmina Bonziorum, suo quæque induta cultu & lugubrem symphoniam iterantia. Hanc incendunt femine, in operis gestatæ læticiis; & miserabili ululatu omnia, tanquam si ad necem ipsæ reperentur, implent. Liberi flentes, macie confecti & pædore, consequuntur. Moris non est cadavera in urbibus sepelire: ruri, ac plerumque in silvula tumuli componuntur. Locus augurat capitur, obversus meridiano soli & ab imbre tutus, atque adeo editior, in declivi ut plurimum colle. Sepulcra non exstant è terra, sed alte in humum depressa solido fornice contra vim imbrium muniantur: eadem statuis, peristyllo, magnificis interdum ædibus adjunctis, ornantur.

Hac liberorum in parentes vivos mortuosque pietate, hac potestate parentum in liberos; pacem familiæ & tranquillitatem conciliant: eandem asserunt civitatibus ac provinciis, instillanda populo passim observantia singulari erga Mandarinos, & Proreges; custodes nempe legum, & Imperatoris vicarios. Nunquam illi prodeunt in publicum sine apparatu & pompa, que animos veneratione percellat. Conspiciuntur sublimes in ornatissima & patente læticia; præcumbit proprii tribunalis administris, & omnibus dignitatis sue insignibus circumdati. Quam procul apparent, consistit populus, & læva dextraque decedit. Domi jus dicentes nemo, cuiuscumque sit dignitatis, alloquitur nisi provolutus humi: cumque hæc ipsi potestas per leges fiat, ut fustuario quemlibet multare, indictâ causâ possint, ad eorum occursum aspectumque nemo non cohortescit. Quod si potestatem moderatè ac sapienter Mandarinus exercuit, abeuntem magistratum omnes honore miro prosequuntur. Procurant obviam effusa mœnibus civitates, omnia festo clamore personant. Populus catervatim divisim militarem viam insidet: instruuntur a singulis turmis mensæ splendenti pictæ mimio, & feris inftrate tapetibus; accendantur circum faces, odores pretiosi fragrant: transeuntem sistunt: accumbere, paratisque dapibus, & exquisitis mensarum secundarum deliciis velci cogunt: auresque laudibus suis, qua nulla gratior symphonia, præbere. Hic audit populi pater; illic provinciæ conservator; alibi salus publica: nec minus delectatur veris multorum lacrymis, de illius discessu jacturaque lamentantium. Progredientem alia similiter turba excipit, itemque alia, donec dies inter istos plausus, gratulationes, pioque luctus tota fluat. Illud vero longe lepidissimum accidit, quod ejus vestium aliquod certatim quisque diripit, ad perennem viri de publica re bene meriti memoriam; hic tollit ocreas, ille aufert pileum, iste chlamydem: at simul vestium partem, ei quam abstulit, similem ipsi reddit, ab aliis pariter statim diripiendam. Ita, sæpe paucis horis induet ocreas tri-

Partis V. Hist. Societatis Jesu Tom. II.

ginta, & pilea totidem ac pænulas mutabit. Ut vero illustrium virorum memoria publicis ornata monumentis maneat, res eorum præclare gestas in ære & marmore incisâs collocant in oppidorum locis maxime frequentibus; statuas, & arcus triumphales erigunt; cuiusmodi quasi trophæa tot exstant, ut Imperium Sincicum honoris ac meriti theatrum appellari jure possit.

Ars altera fovendæ in populo concordie, urbanitatis est, modestia, & magistra pudoris amicitieque comitas. Hoc maxime capite, inquit, homines præstant belluis; hominibus reliquis Sincæ. Ac sapiunt profecto, cum ita sibi persuadent, ingenia petulantia, ferocia, iracunda, Imperiis turbandis esse opportuna. Contra vero cives, inter se amare & certare officio solitos, potentes iræ, doctos dissimulare ac pati; rientes ordinis quem etas, meritum, gradus constituit: sic natos, inquam, homines, sic institutos, non facile ad publicam rem turbandam, ab officii rationisque via desexuros. Hanc vero morum normam ita sanctè ac mordicus tenent, ut modum aliquando videantur egredi. Opifices infimi, servi mediastini, agricolas ac nautæ, impolitum & ferox genus; suas observant salutandi, colloquendi, invisendi leges. Dicat media in urbe, aut eadem in familia natos: ita multas sibi præstant operas, & fraternum in morem inter se complectuntur. Senectus ubique venerabilis: quasi honoris partes illis primæ debeantur, qui priores in possessionem hujus mundi venerint. Eodem antiquitatis studio ducti vetera omnia demirantur. Vasis, statuis, tabellis pictis, non ars exquisitior, sed verustas pretium ponit: quantum de fumo & æruginè, tantum de pretio detraxeris. Quod si quis ætatem alterius ignoret, hanc percontari non dubitat; ne gravi urbanitatis detrimento, junior senioris locum occupet. Jam, gradus varios artium, munerum, opificiorum distinctos; & quis cuique respondeat honoris modus, non more tantum, sed lege præfinitum habent. Id enim cum tanti ad publicam tranquillitatem momenti semper esse duxerint Sincæ rei moderatores, certis ratifque modulis ac ærimonis, omnia vita communis officia descriptere, salutationes, convivia, collocutiones, epistolas.

Salutant obvios compositis in decussim ante pectus manibus, aut supra utrumque femur protentis, & capite paulum inclinato. Si quis majorem habere honoris illi, quem salutat, velit; junctas manus ad terram usque demittit, toto corpore incurvato. Si quispiam occurrat primæ nobilitatis, aut si quem excipias domitæ, flectendum genu, tandique sic peristandum, donec erigaris ab eo quem salutas: quod ille continuo præstat. Sed ubi Mandarinus in publicum prodit, flagitiosa familiaritas, & plagis digna censeretur, si quis cum ullo modo, nisi alloquendi causa, salutaret. Ergo de via parumper deceditur; statim oculis humi dejectis, manibus pendulis & ad utrumque latus applicatis, donec præterierit. Qui convenitur domi, si est præcipua dignitatis, excipit adeuntem sedens in interiori aula: si gradus inferioris, expectat in limine, aut etiam in aream ac vicum usque procedit. Primo in aditu non teritur tempus oratione fucata, jactandisque verborum lenociniis, in quibus coærvandis Europæi laborant. Constitutum est quid quisque dicat, quid respondeat. Sistitur ad ostia singula, corpus inclinatur, ac verba concepta repetuntur. Ea duo tantum sunt, *Tsin*, & *Poukan*: Id est, *Progredere*, & *Non auferim*: voculam uterque suam ter aut quater ingeminat: tum hospes, quasi vinci dolens, prior ingreditur.

Ubi ventum est in locum colloquio destinatum, post varias circuitiones, numero suo & ordine constanti definitas, sedetur. Sedendum autem recto corpore, non ad cathedræ dorsum acclivi, quod esset impudentiæ non ferendæ; manibus in genua porrectis; demissis humi oculis; pedibus æquali spatio productis, non obliquis aut inter se transversis; toto vultu ad modestiam & gravitatem composito. Statuas dixeris duas ad scenam theatri ornandam collocatas. Siletur enim interdum penitus; præsertim si honoris tantum causa quempiam convenias; & post brevem, non molestus sit saluator, moram, disceditur. Idem in discessu ritus observantur, atque in accessu: nec minus negotii est in finienda quasi comœdia salutationis, quam

Cccc

quæ

quàm in inchoanda: Peregrini & advena fabulam sepe turbant, suarum partium inscitia. Rident indigenae sapientes: alii stomachantur. Certe legatis Imperatorem allocuturis praestituti sunt dies quadraginta, quibus se comparent: ac ne quid illis perperam excidat, mittitur ad eos per totum id tempus magister caerimoniarum, à quo exercentur. Praesto sunt magistratum tribunalibus, ejusmodi caerimoniarum non tam doctores, quam censores rigidi; qui & voce & verbibus, si quid erratum fuerit, emendent.

Nusquam sunt molestiores istae leges urbanitatis & vincula, quam in conviviis. Mimos rectius, quam convivas appelles; neque ad vescendum vocatos, sed ad vultum & corpus sexcentis modis miserè distortuendum. Adest arbiter edendi & bibendi, qui praecipiat ac designet quid, quo tempore, quo gestu, quoque modo praestandum sit. Hunc omnes conviva, ut symphoniaci moderatorem concentus, audiunt: simul atque innuit, universi manum lanci admovent, & os poculo; attollunt bacilla, vel deprimunt: nam bacillis duobus argento praefixis utuntur fuscularum vice; in iisque tractandis mire sollertes & eruditae manus habent. Est sua unicuique mensa, sine mantili, sine cultello, aut cochleari: omnia quippe fercula secta frustatim apponuntur. In comedendo modus hic tenetur, ut ne citius tardiusque conficiatur cibus, adeo ut omnes expediti possint esse ad bacilla deponenda. Haec in mensam demittuntur certis gestibus, quorum intervalla idem convivi magister moderatur. Lances circiter viginti apponuntur, & inter unamquamque ministratur vinum, sed innocens & mite, inque cyathis parum capacibus, è quibus tantumdem haurire licet, quantum cuique allubescit.

Ubi dapes omnes appositae fuerunt, fas est paulo liberius è catino, quod cuique commodum est deprimere; ad numerum tamen, & è structoris praescripto. Hunc in modum accumbunt tribus quatuorve horis, taciti, graves, serii. Cum cessare convivas moderator mensae videt, dat signum. Conspicitur, & in aulam hortumve, deambulandi parumper & colloquendi causa, seceditur. Vix horae quarta pars abiit; redeunt omnes in priorem locum, ubi secundas inter mensas bellariis instructas, thea porrigitur. Ecce autem praetenduntur collarium, novusque labor. Subeunt histriones & pantomimi, ac nescio quas fabulas rursus plenas & inficetas acitant. Eorum cantibus inconditis seu clamoribus & ululatibus (nam declamandi artem ignorant Sinae) aula tota perstrepat; & aures convivarum, jam prioribus caerimoniis fatiscientium, obtunduntur. Applaudendum nihilominus est, comprimendus risus, laudanda Sinensis elegantia, & probanda utroque pollice consuetudo, sapienter à majoribus ad posteros transmissa.

40. Politica scientia leges, Sinarum propria.

Tertium Imperii administrandi caput complectitur proprias quasdam prudentiae politicae leges. Prima est ut nemini mandetur publicum munus in ea, unde est oriundus, provincia. Mandarinus enim ignobilis ferè ab iis contemnitur, qui natalium ejus obscuritatem norunt. Sin contra loco nobili natus est, periculum foret, ne cognatorum & amicorum opibus fretus, duceret seditionem aut promoveret; certe, ne praepeditus gratia, auctoritate, metu, jus non posset integrè ac liberè dicere.

Alter lex est, ut praecipuorum liberi Mandarinorum, in urbe regia & Imperatoris comitatu, teneantur; verbo quidem, tanquam splendidius educandi; re ipsa velut obfides, & vades, si quid ab eorum parentibus peccatum fuerit.

Tertia: ut nullum munus publicum venale sit, sed virtute duntaxat ac doctrina parabile. Hanc ob causam in candidatorum mores ac vitam diligenter inquiruntur: de illorum vero eruditione tot instituantur examina, ut nullus fraudi locus relinquatur. Statim atque parentibus ea videtur indoles atque pueri, ut fructum in literis facere non penitendum possit, traditur in disciplinam alicui ludimagistro, ut noste lic-

teras & exarare discat; qui multorum annorum labor & opus est. Collegia juventutis & Seminaria sunt nulla: litterarum magistris nullus non abundat vicus. Cum processit annis & doctrina puer, examinandus offertur Mandarinis; ac, si commode characteres format, inter eos admittitur, quibus penetrare in librorum veterum adyta licet, ac postmodum ad gradus litterarum provehi. Istorum graduum tria sunt genera, quae nostratibus artium magistris, baccalaureis & doctoribus, utcumque respondent. Quia porro arbitria fortuna apud Sinas doctrina est, eam ob rem in studio litterarum aetatem omnem consumunt. Clarissimos libros memoriae mandant labore indefesso, leges interpretantur & explanant: toti sunt ab anno sexto aetatis, ad sexagesimum usque in scribendo, in cognoscendis imitantisque praeceptis doctoribus, in arte dicendi comparanda, & procedendo stilo. Interdum aliquorum natura praestans, & ingenii vis acrior breviori tempore metam longissimi studii attingit: sed haec rara inter Sinas avis.

Doctrinae periclitatio fit incredibili cum severitate. Tertio quoque anno instituantur examina, in urbe primariae provinciae, octava luna, quae in mensem Septembrem nostrum incidit. Habent primariae illae civitates cellarum millia circiter quatuor, ingenti circum muro: singulae passus ternos latae sunt, quinque admodum longae, altae ad hominis staturam. Supellex, praeter mensam & sedile, nulla. Unica in hoc septem, & quasi gymnasium, porta patet: cujus in limine unusquisque diligenter excutitur, ne quid scripti occultet in vestibus, aut in penicillorum calamis: praeter quos, & folium chartae purum, asferre nihil debet. Ingressi compinguntur in cellulas, janus obseratis, & apposito licetore, qui observet ne quid innuant, vel insursurent vicinis: militum vigil custodia murum obambulat.

Ad quatuor patentis aerae angulos designat exaratum litteris cubitalibus argumentum scribendi; quod è sua quaevis cella facite legat. Primo die proponuntur effata quatuor desumpta è Confucii libris: itemque alia tria ducta è praeceptis voluminibus, quorum apud Sinas maxima est auctoritas: licet eligere, quod ad cuiusque stomachum & vires magis facit. Effatum quicquid suum ornat, amplificat, perpoli: tota scriptio characteribus, seu vocibus quingentis includenda est. Secundo die materia scribendi est deliberativa, ut rhetores appellant, generis. Queritur quid agendum in aliquo certo, quod exponitur, negotio; quid esse videatur è publica re, quid Imperatori suadendum. Scriptio in modum libelli supplicis est conformanda. Diem denique tertium occupat aliqua forensis disceptatio; solvendum legis nodus; sententia pro tribunali dicenda; causa quaedam eorum similis, quae in iudiciis versantur; accusatio, vel defensio. Incumbunt in laborem candidati à mane summo ad vesperam. Praetenduntur levidense praebet illis civitas, quo verendum non est, ne tetetur cerebrum noxiis vaporibus, & contentio laborandi frangatur. Sub noctem omnes solia sua complicant, adscripto suo, parentum, majorum & patriae nomine. Chartam obsegnatam praefectio tradunt. Eam subito exscribunt librarii, in hoc munere exercitissimi: nihil omitunt, ne apicem quidem unum, praeter auctoris nomen, quod in isto exemplo non apponitur. Ne qua in re tamen lapsa sit eorum aut manus aut fides, datur selectis censoribus provincia conferendi cum autographo exempli: scriptioes autographae in scriniis diligentissime obseratis tenentur: exempla deferuntur ad iudicum assessores: qui, rejectis deterioribus, optima deligunt, de quibus duo iudices ab aula missi pronunciant: collatisque rursus exemplis cum auctorum ipsorum autographis, lauream & magistrerii decus promerentibus largiuntur; eorumque scriptioes & nomina toto Imperio promulgant.

Jam, qui gradum doctoris ambiunt, Pekinum conveniant necesse est: ac ne quem egestas retardet, sumptus itineris de publico suppeditantur. In iis examinandis diligentia & cautio longe major adhibetur. Sedet inter illorum iudices aliquando Imperator ipse; & ejus qui nunc rerum potitur, acumen ac diligentiam vel peritissimi reformidant. Simul atque doctores creati sunt, Imperatori offeruntur, à quo tres primi

corona florea, vel aliquo alio munere donantur: nonnullos in academiam suam cooptat, unde vix unquam educantur, nisi ad obeundam insignem aliquam regni præfecturam. Doctor semper opibus affluit: vel ipsis gratulantium donis dives est: dum ejus gratiam conciliare sibi quisque studet, utilemque amicitiam demereri. At ne primos adepti gradus, quasi vortorum comites, otio se dedant, & longum vale litteris laborique dicant; jubentur iterum iterumque varias subire periclitaciones, & specimen eruditionis edere: in quo si negligentiores deprehendantur, ac pristina eruditionis oblitii, gravissimè castigantur: nec abeunt contra sine præmio, si veteris doctrinæ possessionem accessione nova locupletaverint.

Hæc ratio mirificas ad publicam rem bene administrandam utilitates habet. Juventus, quæ otio fere marcescit, continua occupatione advocatur à vitiis: vix habet respirandi spatium, nedum cupiditatibus indulgendi. Deinde literis & humanitate quamplurimi perpoliuntur. Tum administrantur magistratus à viris legum & morum peritis; ac licet non penitus excindantur ille judiciorum pestes & corruptelæ, quæ ab avaritia indomitique perturbationibus oriuntur; saltem ille propulsantur, quas parit recti verique infœcia. Huc accedit, quod inter ipsos magistratus nulla est de honore dimicatio: non tamen candidati largitione, gratia, patrocinii, quibus abundare possunt etiam indignissimi. Præterea, quia merentibus dantur inempti magistratus, abrogari facile possunt immerentibus. Durum esset familiam florentem, quæ in coemendum munus fortunæ omnes effudisset, subito evertere: ac proclive foret indulgere nonnihil Mandarinis cunctatori, languido, desidiolo, seni; aut rigido præter jus & æquum atque immitti. Verum, ubi magistratus donum Principis est, adimi sine cuiusquam injuria, cum videtur, potest. Denique jus gratiarum populo dicitur. Nihil exigit a litigantibus iudex qui nihil dedit, & cuius ratum fixumque stipendium est.

Quarta Sinenfis politice lex Imperio exteris excludit. Sux sibi sapientia cœntia gens, & opibus domesticis tumens, peregrinos mores contempnit, ut barbaros ac prope ferinos. Veritas est ne quid ex illa contagio labis contraheret, si admitteret eos promiscue, atque in Imperii gremio versari pateretur: tum vero timuit ne quid oriretur in publica re dissidii ac perturbationis, è morum, sermonis, & religionum dissimilitudine; quæ à litibus privatis, in seditiones & bella solet erumpere. Non jam est, inquit, eadem atque una familia, non liberi iidem imbuti opinionibus, ac moribus: & quamvis ad omnem vernaculi moris usum sedulo fingantur exteri, ac velut inferantur in eandem stirpem, non sunt ad summum nisi adoptivi liberi, caritate illa & obedientia, quam natura veris & legitimis filiis infœvit, destituti. Quare, licet Sinenfis indigenis præstantiores essent exteri, quod nunquam ipsis persuadebitur, interesse tamen publicæ rei putant ut amoveantur: ac mirantur quo tandem pacto legis Evangelicæ præconis Europæi sedem in Sina stabilem adipisci potuerint. Sed quàm est prudens illorum metus, & politica ratio, cum agitur de falsis religionibus, quæ à discordia, impietate, rebellionibus procreata, pariunt eadem monstra facillimè; tam est injusta, cum agitur de Christiana lege, quæ concordiam, obsequium adversus Principes, modestiamque præcipit. Quod ipsi demum post examinatam seculo toto Christi legem, agnoverunt.

Quintum politice Sinenfis placitum est, nullam ut hereditariam esse velint nobilitatem, neque ullum inter cives ordinem & honoris gradum statuunt præter illum, quem gestio muneris alicujus publici, atque adeo doctrina probitasque tribuunt. Si unam Confucii familiam excipias, quidquid est in Imperio, populus aut Mandarinus est. Nulla prædia non plebeio & communi jure sunt; ac ne illa quidem, quæ sunt alendis destinata Bonziis, aut fanis addicta. Itaque ipsorum Dii perinde atque homines, onerum publicorum partem ferunt; & vestigalia cum populo pensant. Mandarinum demortui liberos nihil adjuvat paterna nobilitas: nomen vacuum & inane gerunt, nisi virtutem parentis & eruditionem representent. Hinc redundat in publicam rem utilitas non una. Primum quidem magnam

opportunitatem offert ad fovendum commercium, quod inertis nobilitatis orio languescit, ac jacet; deinde fincum auget majorem in modum; siquidem nihil immune, nullum oppidum, prædium nullum vestigale non est. Postremo cum familiarum non retineant splendorem illum, quem nobilitas obscuris etiam ingenii & plebeis mentibus conciliat, nihil periculi est, ne in provinciis propagent alantque auctoritatem, & opes Principi formidolosas.

Sextum placitum est, ut expeditas atque infructuosas semper copias habeant, quibus & finitimorum arceant impetus, & domesticos tumultus comprimant, seu potius antevertant. Quindecim, ut minimum, aut viginti militum millia singulis provinciis imposita sunt: centum sexaginta equitum millia Pekini excubant. Aliæ cohortes mirum Tartaris obiectum; aliæ insulas, præsertim Haynaniam & Formosam, tuentur: adeo ut quingenta ipsa armatorum millia Imperator alat, vel in summa pace. Lautissima ac splendidissima copia sunt; non item optima: transvectioni aptiores, & pompæ, quàm pugnæ. Nihilominus adhibetur maxima diligentia, ut bellicam artem milites apprime condiscant. Copiarum ductores eligantur peritissimi, post datum fortitudinis & industriæ specimen: explorantur & examinantur non secus atque literarum doctores. Ipsi artem, quam diu didicere, suis milicibus accurate tradunt; docent quomodo excipiendus, vel invadendus hostis, a tergo, a fronte, a lateribus: ubi cedendum prudenter, ubi fortiter instandum; qua ratione acies colligenda, dividenda, & ad subitos casus convertenda sit. Sagittas ad signum perite miles dirigit, tractat acinacem scienter, audit centurionum imperia; & vincere tamen, quod rei caput est, nescit. Enimvero non tam præceptis & umbratili exercitatione, quàm usu, ars bellica percipitur; neque usquam certius & commodius bellum, quàm in bello ipso discitur. At pacem & otium Sina omnes colunt. Deinde optimam ætatis partem collocant in tractatione literarum; neque arma ferè induunt, ac nomen inter milites profitentur, nisi laborum tædio, aut otii cupiditate. Quid quod bellicam artem ferunt quiddam esse arbitrantur & barbarum. Itaque ipsam belli armorumque speciem ab oculis remouent, nec modo civem cum telo esse, vel gladio, sed ne militem quidem ullum patiuntur. Milites tunicati vagantur & inermes, nisi cum lustrantur copias. Ab isto bellicæ gloria contemptu illud oritur incommodi, quod bellis exterorum & incursionibus Imperium patet, quibus denique succubuit, cum Tartarorum accepit jugum, ut suo loco explicabitur.

Septimum placitum spectat pœnas ac præmia. Bene de Imperio meriti nunquam frustrantur sua mercede: & quia Principum, quamvis locupletissimorum, arca remunerandis egregiorum virorum meritis par sæpe non est, inventi sunt tituli honoris pleni, quibus virtus minimo impendio cohonestatur. Hinc orti sunt varii Mandarinorum ordines. Novem recensentur; duplex in unoquoque est gradus; alter altero nobilior. Ea dignitate, his titulis, id Mandarinum consequuntur, ut honestissimum in cœtibus, in consiliis, in mutuis salutationum officiis obeundis locum teneant. Auget illorum splendorem ac famam illustris appellatio, fortunæ teruncio non auget; eoque Imperatori est gratior. Igitur illam ipsis aliquando mortuus impertitur. Eos creare Mandarinum gaudet, iisque insignem inter aulicos proceres assignat locum, quibus ne infimum quidem inter homines dare potest. His titulis interdum adjungit elogium sua conscriptum manu, quæ res una vel maxime familias illustrat.

Haud parcius pœnas imponunt, quàm præmia. Unicuique delicto suum & constitutum lege supplicium. Inolevit mos ut fastuario plurimum utantur. Impinguntur fustes tergo; si quadragies tantum aut quinquagies, animadversio paterna nuncupatur, cujus ne Mandarinum quidem immunes dignitas sua præstat: nam vacat hæc probro pœna, cogiturque affectus illa reus genua ter flectere ante judicem; corpus, si plage sinunt, incurvare; gratiasque pro castigato benigne delicto magnas agere. Atqui hujus supplicii tanta sæpe gravitas est, ut ictus pauci ad inferendam necem satis esse possint, si quis est imbecillior, ut quandoque accidit. Non tamen desunt artes ad mitigandam hanc

hanc acerbiter. Omnium certissima est, auro liciores delinire. Tunc eorum manus sic blandè pecunia incantat, ut fustes gravissimi pluma leviores evadant; quamvis infestè præfens iudex, & stimulos addat cadentibus. Præterea inveniuntur ubique vicarii, qui venale dorsum pro fontis tergo supponant. Signo dato subeunt folliter in alterius, per confertam multitudinem elabentis locum; & plagas non sibi debitas, læti excipiunt. Hac arte una multi vitam tolerant, & fustuario aluntur. Hunc in modum olim Yam-quam-Sienus, ob scelera & excitatam adversus Christi legem procellam, in Sinenfibus factis male notus, iustissimè severitati iudicum est elapsus. Auri magno pondere induerat hominem è face vulgi, ut suum obiret locum, ac pœnam sibi irrogandam lucret; aiebat rem ultra fustes non processuram; ac si quid ulterius tentaretur, datum iri operam ut illi esset impune. Credit miser vestem & crimen scelerati proditoris induit. Citato per apparitorem Yam-quam-Sieno, respondet ad nomen, seque adesse clamat: dicitur in eum sententia, & capite damnatur. Statim à licioribus comprehenditur, & ore oppresso (nam reis post latam sententiam vocem edere nefas) productus in placam, crudelissime necatus est.

Solent etiam ferreo torque ad infamem cippum devincire fontes in compitis, aut pro portis urbium. Hæc pœna, ut est fustuario levior ad acerbiter, sic multo est ad ignominiam gravior; inuritque labem adeo fœdam, ut eam nulla temporis diuturnitas eluat. Reis ignobilibus amputant caput, censentque hoc supplicii genus, quo cervix à reliquo abscinditur corpore, tetrum in primis ac turpe; nobilibus eliduntur fauces laqueo: nisi forte majoris aliquid flagitii admiserint, & peioris exempli; tunc enim eadem ac populus plectuntur pœnâ, & eorum capita nonnunquam ex arboribus in via militari suspenduntur. Perduellionis reos dirissimè torquent. Alligatis ad palum carnifex pellem capitis vi deripit, & in oculos reducit a fronte, ut aspectu saltem sui supplicii careant. Mox frustillatim membra omnia dissecat, ac tristi laniena fatigatus, spirantes adhuc & sexcentis deformatos vulneribus, furenti populo conficiendos permittit. Interdum flagris concidunt sceleratos, & lenta nece macerant.

Inter ceteras administrandi rectè Imperii leges non posse rem hanc esse arbitrantur, ut nullam publici vel privati negotii partem attingant unquam femina. Domini sedere clausas vulgo jubent, educandis liberis intentas. Nihil vendere illis aut emere in publico licet: tamque novum & insolens accidit, si qua prodeat foras, quam in Europa, cum dicat Deo virgines è suis claustris, itineris necessarii causa, pedem proferunt. Virorum Principum & Imperatorum uxores maritis non succedunt: ac ne regere quidem tantisper Imperium illis conceditur, dum ipsarum filius huic per ætatem gubernando par sit.

Restant effata duo politicæ Sinarum prudentiæ: alterum ad commercii fovendi curam perinet: alterum ad singulas partes ac munera vite civilis ordinanda, & certis statisque legibus vincienda. Nihil habent antiquius quam ut vigeat mercium & floreat. Omnes in quæstum omnia conferunt, etiam Mandarinum: qui, societate cum laetis mercatoribus inita, fructum è pecunia ingentem colligunt. Neque vero peccari graviter ab eo putant, qui lucri causa mentiatur astutè, scienterque fallat. Deprehensus in dolo mercator, Vides, inquit emptori, quam tardus, hebesque sim. Tu me peritor es; aliàs ero fortasse felicior. Neque religioni pariter habent merces, quæcumque depravari possunt & adulterari, vitare. Emptoris est detegere vitium. Id si minus facit, tarditatem, inquit, suam accuset. Hæc fallendi fraudandique publica velut licentia, magnam furum copiam gignit. Nihil est illis ingeniosius: parietes sine tumultu ac fragore perfodiunt; deiciunt januas, domum noctu improvvisi & inobservati compilant. Si deprehendantur cum telo, capite plectuntur: si inermes, afficiuntur leviori pœnâ, pro furti modo: si nihil dum furati sunt, fustuario multantur. Quo sit expeditior commercii cursus, datur modo exteris venia subeundi Sinicos portus, à quibus olim arcebantur. Cum primum ostenderunt Lusitani onustas peregrina gazæ naves, præstrinxit Manda-

rinorum oculos lucri spes: at cupiditati frenum injiciebat Sinica lex, peregrinos in Imperium admitti vetans. Inventum est quo pacto legi satisfaceret: si nempe in vicinam urbem inferrent suas merces interdiu, noctu vero se ad navigia reciperent. Postea Sancianum & aliæ quædam insulæ, ubi naves reficerent, concessæ: demum ponendi stabilis domicilii facultas data in Gaoxa insula provinciæ Quantunæ, ubi Macaam condiderunt. Commerci tamen Sinenfis præcipua pars & potior in ipsa Sina continetur. Singulæ provinciæ, tanquam totidem regna, mutuas indulgentes opes, & omnium ubertate ditescunt.

Sequestra commercii & quasi mens, moneta est. Denariis æreis utuntur, rotundis & in medio perforatis, ut inserto filo colligi possint: deni assem conficiunt; asses vero decem, decima sunt pars nummi Sinici, quem Leamum vocant indigenæ, Lusitani vero Taelen: respondetque quatuor circiter libris Francicis, aut Julii Italici. Argenteos nummos imagine Principis & certa signatos nota nullos habent: eorum loco massulas argenti solidi adhibent, informes & variè concisas. Pondere æstimantur, & eas diffindere licet, si quis adulteratum metallum suspicetur. Aurum inter monetas non numerant, uti nec gemmas: sed inter merces. Aurum ipsum emitur, ingenti Europæorum quæstu: in Europa enim cum argento comparatum rationem habet unius ad quindecim; in Sina vero, unius ad decem. Merces pleræque Sinæ mercatores appendunt. Eam ob rem stateras perquam habiles, ac delicatas penes se vulgo habent, inclusas levi & elegantissimi theca. Constant lanacula, scapo, & ductili pondere. Scapus èbeninus aut eburneus, calamo scriptorio non crassior, sed in minimas particulas, incisus in superficie lineolis, sectus, mire ponderi cuilibet accommodatus est. Libra Sinica in sexdecim uncias tribuitur: uncia singulæ in partes decem; illæ in decem denariolos, denarioli in totidem grana. Sinicus pes, quo mensores utuntur, non differt ab Europæo pede, digitorum sexdecim.

Pars haud exigua politicæ prudentiæ, ordo & disciplina civilis est. Hæc civitates, pagos, ac singulas familias regit, ordinat, continet. Nihil in Imperio Sinenfi, jam inde a condita Monarchia, non compositum & constitutum: omnia prævisa & definita. Nulla inter nobiles de gradu honoris contentio: novit quisque quid suo muneri debeatur. Principum ac Mandarinorum pensiones, domus, familia, læticia, insignia, sunt præscripta & pærvulgata. Itaque cum in publicum prodeunt, unufquique intelligit quinam, & quo genere honoris afficiendi sint. Ipse urbes formam ac figuram definitam habent, nempe quadratam, quantum ratio soli patitur, ita ut portæ specent partes mundi quatuor præcipuas, orientem, occidentem, meridiem, & septentrionem. Eadem est domorum ratio, quarum januæ cuiquam ex illis partibus obversa debent esse. Urbium quoque ordini respondet magnitudo. Domorum omnium humile fastigium & æquale, ne quis in alienas ædes, aut hortos prospicere possit. Tota civitas in regiones dividitur: præsent regionibus decuriones: quorum singuli decem ædibus ita sunt præpositi, ut illis incumbat cura Mandarinum admonendi, quis peregrinus accesserit ut excesserit; num qua coortata rixa, numquid novæ rei natum. Ad mutuum operam sibi præstandam tenentur vicinæ domus, & ad vim arcendam debent concurrere, si quid tumultus a nocturnis, exempli causa, furibus aut sicariis oriatur. Demum in unaquaque domo à patre-familias ratio repetitur eorum, quæ liberi domesticæ peccaverint. Urbium portæ semper clauduntur appetente nocte: excubat pro portis interdiu statio militum, quibus id negotii datur, ut explorent quis inferat pedem, effratræ; unde, num vicina ex urbe aut remota, & quorsum veniat; cujas, qualisve sit. Comprehenditur qui quid præbet suspitionis, & ad Mandarinum perducitur. Majoribus in urbibus per noctem concursant vigiles; catenis ferreis transverse viæ occluduntur: pomerium equites circumveant; neque ab impune, si quis vagari tunc deprehendatur. Nox quieti concessa est, inquit Sinæ, ut vires refectis somno, instanti labori pares esse possint; nec traducenda ludis intempestivis, saltationibus, choreis & concursationibus, in bene morata civitate. Non

Non se continet urbibus providentia Sinica; in agros late ac pagos excurrit. Nulli parcitur sumptui, ut via publicæ, rebus omnibus ad iter commode faciendum necessariis muniantur. Attolluntur aggeres in locis humilioribus: in abruptis & confragosis saxa montesque perfodiuntur: aquæ & torrentes alio derivantur in palustribus & humidis. Viæ militares late sunt octoginta circiter pedes, arena strata ac topheo, qui post imbrem facile arefcit. Sæpe dextra lævaque trames editor affurgit, ut pedites commodius iter faciant: interdum geminus arborum versus prætexit latera, & solem submovet prætereuntibus. Post milenos quoque passus viam transversam fecit fabrica, instar triumphalis arcus, alta triginta pedes, tribus amplissimis portis aperta, quarum in culmine, ac latissimo zophoro scriptum literis uncialibus legitur quantum distet urbs proxima, tum ea unde venis; tum illa, quò ducit via. Sic duces itineris minime fuit opus, & exploratum cuique est, quò pergat, quantum superfit viæ, quantum confecerit. Rursum, post dimidiam quamque leucam, in eadem viam turricula quadam conficitur, ac terrenum monumentum. Ibi defigitur vexillum Imperatoris, nec procul est castra & militum statio. Illi subito adsunt, cum tumultus aliquis increpuit, vel cum nuncii quidpiam quasi per manus celerimè deferendum est: præsertim vero ad prædones graffatoresque cohibendos. Quisquis armatus ingreditur, debet edifferere quis sit, unde, quò pergat, ac litteras a Mandarinis acceptas proferre. Publicis cursoribus præbet stipendium Imperator de fisco, eamque ob rem ingentem numerum veredorum alit. Dimittuntur ex urbe regia ad civitates provinciarum primarias, & Principis mandata deferunt. Ea Proreges urbibus primi ordinis statim significant: ab urbibus primi ordinis ad oppida secundi, à secundi oppidis ad civitates tertie classis momento permanent.

Iisdem cursoribus utuntur cives ad epistolas perferendas, nonnihil erogando veredariorum præcedis: eadem, qua fit in Europa, facilitate ac securitate, ad multo minori sumptu. Ut Mandarinorum curam Imperator acuat, sæpe rumorem spargit se aliquò profecturum, & provinciam lustraturum. Tunc enimvero curæ omnes impensaque adhibentur, ut expediat & ornate sint viæ: ut reficiatur, si quid vitii damnive tempus aut casus attulerit. Aguntur enim fortune gubernatoris, ac sæpe caput, si negligentiore se præberit; aiuntque Mandarinum haud ita pridem laqueo collum inseruisse, quia satis mature via refici non poterat, qua venturus Imperator dicebatur. Non venit tamen; & Mandarinum festinasse nocuit. Ut urbibus, sic pagis suæ sunt constitutæ leges, ad fovendam concordiam, ad culturam agrorum, ad augendam commercium rem tum publicam, tum privatam. Nemini otioso licet esse; procul intemperantia computationum & ludorum: procul omnis alea, neque illa nisi clam & gravi cum periculo luditur. Luditur tamen, nec raro; tanta est libido lucri! ac sæpe domus, prædia, uxores a luforibus obstinatis deponuntur. Uxores, inquam: ut enim eas emerunt, ita etiam aliquando vendunt.

In matrimoniis contrahendis adhibent quasdam vetulas, nuptiarum conciliatrices & quasi pronubas (nam sponsas intueri aut alloqui non licet.) Illæ vetulae, ad mentiendum conductæ à parentibus, proco de puella consulenti vulgo referunt ea que placere possunt: laudant formam, indolem, solertiam. Quo pluribus enim dotibus puella ornatur, eò pluris emittitur; neque aliter uxores ac merces alias comparant. Postquam de pretio inter procum & virginis parentes convenit, pecunia numeratur; apparantur nuptiæ. Ubi dies illis destinatus illuxit, deferuntur ad mariti ædes sponsa, in sella elegantè, percrepantibus tibis & tympanis, consequente cum puella parentibus amicorum & affinum caterva. Nihil afferit dotis nomine, præter nuptiales amictus, mundum muliebrem, & suppellectilem donatam à patre. Dos uxoris, ipsa est uxor; fat dives, si pudica, si proba. Id faciunt, ne colloquendis virginibus opes familiarum exhauriantur: tum etiam, ne dotis magnitudo spiritus majores afferat uxoribus, quæ minus opulentos despiciere viros solent, iisque se jure quodam suo tunc imperitare posse credunt. Spon-

sus opipare cultus domi, venientem expectat sponfam; ipse sellam, diligenter antea obseratam, aperit, & uxorem deducit in conclave, ubi illam cognatæ mulieres, & ad epulas nuptiales invitatae, excipiunt; dum in diversa adium parte amicis maritus geniale convivium similiter apparat, mæstus ipse non raro, ac dolorem vultu malè dissimulans. Cum enim inter se nunquam vir uxorque aspexerint, sæpe alter alteri displicet, ac lucem unam genialem longus multorum annorum maror excipit. Repertos narrant qui, cum trepide læticam, ubi sponsa gestabatur, aperuissent; aspecta puellæ forma, parum honesta & liberali, repente læticam occluserint, ac iussu faceffere cum sponsa parentibus, & amicis, pactam numeratamque pecuniam perdere, quam iniyiam mercem retinere, maluerint.

Cum Tartari Nankinum occuparunt, accidit res sane lepida, quæ victoribus perinde ac victis risum movit. Milites in promiscua vastitate sacris profanisque rebus inferenda, peperere feminis, quas esse in Sina venales audierant. Undecumque rapas includere ingentibus apothecis, in forum postea producendas. Sed quia multarum ætas ac forma deterior non facile videbatur emptorem inventura, placuit universas in saccos abdere, atque ita venales proponere. Pretium in singulas constitutum, ut non plures quam binis tribusve nummis venirent, sed ita, ut clausi sacci & operiti emerentur. Die dicta concurrunt in forum multitudo, pars ut uxores ac filias recuperarent, pars lucris studio. Hos inter nescio quis è plebe infima, qui nummos duos ægrè comparerat genium defraudans, eos obtulit, & saccum suum abstulit. Vix emerferat è turba, incescit cupidò cogitandi, quam bene ac feliciter emisset. Saccum recludit. Videt retortidam anum, & senio macieque deformem.

Hoc aspectu sic efferatus est, ut saccum & vetulam in flumen abicere pararet, amisse pecuniæ dolorem consolari sic gestiens. Cui matrona caput sacco exerens; Noli, inquit, o bone, fortunam incurfare: nunquam meliùs emissi. Faxo ego, si mei curam geris; ut unum hunc diem dicas tibi fortunatissimum in vita illuxisse. Hac oratione mitigatus deducit illam in vicinas aedes, ubi se indicavit. Erat præpotentis Mandarinum conjux, quem extemplo per litteras fecit de sua calamitate certiorem. Nec ita multo post adfuerunt famuli, a quibus domum est revefta cum suo vindice, quem ita ornavit extulitque, ut eum duplicis nummi tam bene collocati minime pœniteret.

Sinenfibus uxores repudiare non licet, nisi convicias adulterii, aut certis aliis de causis, quæ rarius incidunt. Tunc eas vendunt cui liberit, aliamque mercantur, id populo familiare est; nobilitati non item. Quòd si quis temerè, ac victus odio & animi impotentia, conjugem vendat, graviter animadvertitur in emptorem juxta & venditorem; nec tamen dimissam recipere vir cogitur. Quamvis unica fit in singulis familiis uxor legitima, concubinas nihilominus quamlibet multas adificere sinit consuetudo. Jus æquum liberis omnibus est ad cernendam hereditatem, quia censentur omnes ad legitimam conjugem pertinere: quam proinde matrem vocant, & in loco parentis habent; adeo ut eam, unde nati sunt, neque colant vivam, neque mortuam lugeant. Denique maximam vim habet ad fovendam in populo concordiam, ad ubertatem publicam & felicitatem ratio colligendorum vestigalium simplex atque moderata. Carent publicanis, & ea quæ publicanos sequitur, & quam Principes Europæi necessariam arbitrantur, licitorum & actorum numerosa natione. Agri omnes metati sunt, omnes familie numeratæ: ratum & fixum quid ex quoque vel hominum capite, vel proventu frugum, redire ad Imperatorem debeat. Suum quisque vestigal urbis gubernatori defert: id facere qui omiserit, æditur fustibus, & vinculis mandatur: at ejus bona non publicantur, ne familie totæ corruant. Gubernatores rationem acceptæ pecuniæ reddunt primario cuiuspiam Mandarinum; iisque vicissim supremæ rationum curiæ Pekinensi. Vestigalium bona pars in ipsa provincia consumitur, solvendis magistratuum militumque stipendiis, & publicorum ædificiorum impensis: reliqua pecunia Pekinum comportatur.

His

His legibus stetit ac floruit Sinica res ab annis quater mille & amplius, nempe ab anno ante Christum natum bis millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo. Quam vetustatem confirmat Historia Sinica, tantam auctoritatem Litterarum iudicio ac potissimum Confucii adepta, ut eam vocare in dubium

nemo prudens, ac nisi, ut dicitant, hereticus, possit. Hanc per suos digestam annos videre est in edito recens volumine, quod inscribitur *Confucius Sinarum Philosophus*. Exstant in eadem vestigia non obscura prisca ac vera, quae olim in Sina vixit, religionis, ut modo explicaturi sumus.

§. XVIII. De Sinarum Religione.

NON immerito putatur hæc Sinarum fuisse fortunata fors, ut verum & summum Numen jam inde ab ipsis Monarchiæ incunabulis cognitum haberint. Ejus conditores Fohium, Yaum & alios deinde consecutos, prima Imperii fundamenta jecisse apparet ducentis post diluvium annis, Noemo etiamnum superstitite, ut constat è subductis chronologiæ Sinicæ annis; & originem duxisse a Noemi filio Sem, quæ vox apud Sinas, procreationem & vitam sonat. Ab his orti majoribus, Creatoris potentiam & majestatem ignorare non poterunt. Fohius, ut Sinica testantur monumenta, certas pecudes domi aiebat, quas cæli terræque Domino immolare. Eidem cæli Domino templum posuit Hoamtius, Imperator tertius. Chuenhii, Imperator quintus, divini Numinis cultum propagavit in omnes provincias, & certos eidem procurando Mandarinos præfecit. Ejus successores non minorem pietatis veræ ac religionis curam gesserunt. Certi sacrificiorum ritus erant, ac stata singulorum tempora: nec dubitabant Imperatores ipsimet versare humum, cujus felicibus sulcis mandanda fruges erant sacrificio destinata. Certa pariter jejunia & publicæ preces indicebantur; maximè si qua calamitas urgeret, si sterilitas vexaret agros, si hostis fines incuraret, si terra motibus intellinis concussa jaclaretur. Quo etiam tempore fiebat potestas cuilibet è populo Principis admonendi, si quid ab eo peccatum in privata re administranda, vel publica, videretur. Suis enim delictis assignabant Imperatores quidquid infortunii populum affligeret. Hujus moris exemplum refertur memorabile. Septem anni, frugum & solitæ messis expertes, gravissimam provinciis omnibus perniciem intulerant. Id accidisse narrat historia Sinenfis, annis ante Christum mille septingentis viginti tribus: quam in ætatem incidit Ægypti sterilitas litteris sacris consignata. Cum exitium Imperio toti certissimum immineret, Imperator, post sacrificia plurima Numini placando facta, se demum ipse, velut piacularem victimam, offerre statuit. Ergo, primoribus congregatis, exiit regiam chlamydem; ac villi centone tectus, procedit in montem, procul ab urbe. Hic tanquam reus coram supremo iudice, & sordidatus, terram novies fronte ferit, cælumque suspiciens, *Cæli conditor Deus, ait, tot malis fessi tuum imploramus Nymen. In causa sum & culpa, fateor. Sic regem plebis in populo. Sed quo te meo delicto iratum offensumque habeam, queso atque obtestor, doce. Si regia domus superbiam & luxum damnas, illi modum imponam. Si mensis meæ frugalitatem copia publicam inopiam invexit, frugalitate ac parcimonia scelus emendabo. Sin majorem desideras iræ tuæ leniendam victimam, assum; unus pro cunctis cadam: nec mea placatus esto: in agros arentes inderem; sulmen in caput hoc, demitte. Vix hæc ediderat, cum cælum optatos confestim imbres, ac messem postea uberrimam indulsit. Exemplum hoc Evangelii præcones utiliter adhibent. Celebratis, inquit, Imperatorem vestrum, qui majestatis insignibus abjectis, victimam se voluntariam pro suis obtulit. Viri excellentis egregium facinus imitandum posteris Principibus proponitis. Qui potestis igitur non laudare JESU Christi caritatem, qua impulsus pœnas hominum sceleribus debitas ultro suscepit: exiitque debita sibi majestatis ornamenta, ut nobis divinitatis suæ gloriam impertiret?*

Corruptis paulatim moribus relinquit pietas, & profana superstitionum vesania miseris incubuit. Veneficia, magica artes, præstigiatorum ludibria, grafari per populum ceperunt. Principem in Idolis Sinenfis locum obtinet Fo, magus olim aut circulator ludus, cujus matrem gravidam aiunt sibi visam

in fornix parere album elephantem. Inde factum ut elephas albus tanto apud Indiæ reges in pretio sit, & maxima propter illum inter se bella sæpe gerant. Fohi discipuli & cultores orientem fere totum impleverunt; appellanturque a Siamensibus Talapoini, a Tartaris Lamæ, à Sinis Hoshangi. Vocasse discipulos, cum jam ageret animam, traditur; iisque, tanquam rem omnium, quas unquam docuisset, verissimam dixisse: Ex nihilo orta sunt omnia, & in nihilum omnia revolvuntur. Impia vox atheos quosdam in Indiis procreavit: quorum tamen secta infelix, perinde atque ipse idolorum cultus, non tam religionis Sinica pars, quam labes dici debet, publice infamis & condemnata.

Neque tamen ita sunt athei, si qui sunt, Deum ut planè ac præsertim negent. *Hæc est enim, ut ait Augustinus, (Tract. 186. in Joan.) vis veræ Deitatis, ut creatura rationali, jam ratione utenti, non innotuit ac peritus possit abscondi.* Sed quod Deum aliquo modo cognitum, verbis agnoscere ac profiteri factis nolint. In præcorum certè Litterarum scriptis evidentia divina notitia vestigia constat inveniri, ac recentioribus vulgò Litteratis idem ratio ac doctrina persuasent. Præter idolum Fo, populus varias Deorum inanium formas & spiritus, ut vocant, veneratur; quorum originem exquirere, aut fabulosos ritus investigare, tanti non est. Ipsimet illorum cultores satis ostendunt, quam inanes isti Dii, & illo indigni nomine sint. Eos enim, tantisper dum fausti & boni putantur esse, colunt: si ad veros & ad sua vota tardos arbitrantur; negligunt; & ignominia interdum ac verberibus afficiunt. Tene igitur, inquit, ingrate Spiritus, templo accipimus, colimus donatis, tunc multo ac cibo saginamus; dum tu ne nos quidem audire satagis, & que supplices oramus, negas: Sic objuratum ligant, raptant vicatim, in luto sordibusque provolvunt. Quod si contingat interea ut voti compotes fiant, tunc reportant simulacrum, ac delubro suo restitunt, albutum diligenter & repurgatum; prociidunt venerabundi, & factum pluribus verbis excusant. Sane habes, aiunt, quod merito de nobis expostules; paulum expectari potuit: attamen est etiam quod de te conqueramur, qui te præbeas nobis tam durum ac difficilem: poteras annuere citius, quod rogabaris: melius tibi nobisque consuluisse, nec beneficium corrupisses mora: sed, quia quod factum est, infectum esse nequit, redeamus in gratiam: pare; rursum inauraberis. Quid sentiant de suis Diis exemplo ab uno licebit apertius cognoscere.

Civis non obscurus provincia Nankinensis, filie graviter ægotanti metuens, medicis ejus vitam desperantibus, ad Deos, eorumque interpretes Bonziis confugit. Preces, sacrificia, nummos, omnia profudit liberaliter. Sanandum pro certo affirmabant Bonzii, parentis miseri diuturnis muneribus passus. Fidei justorem ac sponsorem nominabant idolum, a se coli solitum. Obiit puella. Parens luctu amens, idolo diem dicit, & malæ fidei promissorem in jus vocat. Si filiam, inquiebat, sanare meam potuit, furti reus es, qui meis nummis acceptis, fidem sefellere: si non potuit, cur imbellis numen aris dignamur? His de causis petebat à prætoribus, ut everteretur idoli sanum, & sacrificuli ejus cum ignominia pellicerentur. Iudex, perspicua gravitate accusationis, eam ad provinciam gubernatorem rejectit. Gubernator Proregi disceptandam tradidit. Prorex, auditis Bonziis, quos istud iudicium metu & sollicitudine compleverat, accusatorem arcebat, hortaturque ut litem invidiosam omittat, negotium componat amice cum Bonziis. Spondebant illi fore, ut idolum placaretur, si certas ad condiciones, æquas,

ut aiebant, & faciles accusator descenderet. Negat ille se facturum: certum sibi esse denunciari jus suum persequi. Prorex, ubi rem in longum trahi diutius non posse videret, instrui & adornari litem iussit, ac supremum interim Imperatoris consilium Pekini admonendum curat. Ab eo causæ iudicium Imperatori reservatum fuit, & litigantes prope arecessit. Accurrunt Bonziorum patroni complures; & magnis per eos delinuiti muneribus, pro idolo tam acriter & copiose perorarunt, ut idolum ipsum, si agere pro se potuisset, commodius nihil videretur fuisse dicendum. Puellæ pater, majorem auri vim sparfit in iudices; & hac eloquentissima ratione causam diu multumque agitatum demum vicit. Idolum, tanquam iners & inutile, à toto Imperio exulare iussum est; excidium ejus delubrum; in Bonzios graviter & severe animadversum. En quibus tenebris laborat humana mens, cum est Fidei lumine deflituta!

Fovent exitiales tenebras & impietatem alunt Bonzii, dum captant quantum è populi cecitate, bipedum nequissimi. Hoc primum doctrinæ, quam inculcant, est caput: Bonzios pacite, & ornate omnibus modis, ut eorum precibus debitas, post obitum, vestris sceleribus penas effugiatis. Hos si habetis infensos, dira vobis imminet supplicia, sedâ animarum in corpora equorum, murium, vespertilionum ac porcorum, transmissiones. Hujus metamorphoseos denunciatione, magnum injiciunt animis terrorem; narratque Societatis sacerdos, cum provinciam Xeniam, Evangelii spargendi causa, obiret circa annum MDCXC. accitum se fuisse ab ægroto, sene honorato, annos LXX. nato. Ut Patrem vidit; vocem attollens, Ah! quam te libens conspicio, quanta me sollicitudine liberabis! Non solum gravibus aternisque malis eximit homines baptisimus, subjicit Pater, sed æterna felicitate beat. Cui ager: Non satis assequor quid velis; nec tu fortasse meam assecutus es mentem. Nosti, mi Pater, addidit, me beneficiis ac liberalitate Imperatoris vitam hædenu utcumque lautam vixisse. Terrent me Bonziorum, quæ in altera vita geruntur, probe gnari. Affirmant hoc mihi fatum initare post mortem, ut Imperatori, cui tantum debere me profiteor, navem operam inter equos ejus sarcinarios aut veredos. Quare non cessant hortari me ut, cum hunc novum adeptus ero statum, strenue rem geram: ne sim sternax, ne calcitro, ne succussator, aut offensator, ne male mediculosus & resistans; ne duri & contumacis oris, aut mordax: ut sim expeditus ad cursum, & alacer; parco contentus hordeo; freni & lori patiens. Sic enim, inquit, Deorum misericordiam commovebis, qui sepe ex bona pecude, hominem ornatum efficiunt, ac Mandarinum aliquando primæ notæ. Hic me, factor, metus noctes diesque sollicitat. Sape in somnis videor indicium collo capistrum, & ori frenum, gerere; sentio instantem flagello equitem, ac totus sudore disfluens, dubitansque homo sim adhuc an equus, evigilo. Sed quid misero me fiet, cum extra jocum & somnum res, ut Bonzii denunciant, accidet? Ea mecum serio reputans id cepi consilii. Fama est, iis qui religionem vestram amplectuntur, nihil istorum evenire: constare semper eandem hominibus mortuis formam apud vos & naturam, atque vivis. Rogo te igitur atque obtestor, ut me vestrum in cætum adscribi patiaris. Scio haud mollem esse legem Christianam: sed nulla difficultas est tanti, ut ne homo esse, quam pecus, malim. Hæc ubi sacerdos audivit, sic hominis inscitiam ac vicem est miseratus, ut Bonziorum artes magis detestaretur. Docuit senem; & aditum, quem ficta fabula ridiculose terror dabat, captans, aperuit illi viam sempiternæ salutis & vitæ, quam senex ingressus, ejus metam, paulo post in Domino mortuus, feliciter attingit.

Ac ille quidem Bonzios, ejus fortunis inhiantes, eludit: in aliis plerisque alcem jaciunt certiosam.

Cum solitæ artes non procedunt, potentiorum usurpant machinam ad nummos corradendos: Voluntariis cruciatibus macerantur, & populi peccata luere se, ac Deos placare dicunt. Ita enim comparatum est, ut penitentia ac vitæ austerioris imagine populus capiatur, & austeritas ementita virtutis veræ locum occupet. Narrat idem Societatis sacerdos, cujus modo

memini, conspectum a se Bonzium immani vincitum catena, cujus pars collum pedesque stringebat, pars à tergo per humum, triginta pedes longa trahebatur. Ita constrictus & gradum agre figens, consistebat identidem ad fores ædium; & tristi voce supplex rogabat ejus ut essent memores, qui se in ipsorum gratiam isto supplicio damnabat. Alios in foro conspexit, qui tundeant sibi caput, incusso fronti saxo, cruore ac sanie diffuentes. Sed nihil majorem illi risum, an potius commiserationem? movit, quam Bonzium juvenis, forma satis liberali, ore ad modestiam & comitatem graphicè composito. Stabat in lectica, seu potius catasta, ferreis intus clavorum aculeis grandioribus undique hirsuta, ut nullam in partem posset incumbere, quin horridis acuminibus figeretur. Eum ostiatim bajuli duo circumvehebant ita perorantem: Hoc ergastulo me, cives, vestra causa, inclusi. Ratum est mihi non prius hinc abire, quam omnium istorum clavorum (amplius duo millia numerabantur) pretium fuerit perfolutum. Singulos decem assibus do. Unusquisque præfens vobis erit remedium adversus morbos, venena, & ceteras vitæ mortalis calamitates. Pretium illud porro non tam erogabitis mihi, quam magno Numini Po, cui templum condimus. Ita clamitantem sacerdos audiens, tenere se non potuit quin accederet propius; & misero adolescenti meliorem ac mitiorem, Christiana Fide suscepta, penitentiam fuaderet. Cui fedatè ac modestè juvenis, magnam enim vero se gratiam habere dixit bene momenti; majorem habiturum, si duodecim è suis emere clavis vellet, quos pollicebatur ipsi peritiles fore ac necessarios. Tum certos indicans longiores, Istos, auctore me, sodes, cape: omnium optimi sunt, quia mihi molestissimi: nec pluris tamen vendam tibi, quam reliquos.

Bonzios omnibus austeritas ista non placet. Vias molliores confectantur plerique ut eodem perveniant; Minimo constant furta, veneficia, & alia, in quibus deprehenduntur sæpe flagitia. Ea quam severè puniunt Imperator, qui Sinicæ nunc rei præest, cum erumpunt, tam apertè illorum fabulas deridet. Cum efferendum esset ante annos aliquot reginæ funus, edixerant evertendam partem murorum reginæ: omen sinistrum esse, si per fores usitatas funus duceretur. Venit quidquam everti; neque adjuvari superstitionis ceremoniis mortuorum Manes, sed perturbari, respondit. Venereunt ad illum per eos dies, puellæ nobiles bene multæ, quas in comitatu regina olim habuerat. Orabant enixè, sibi ut liceret reginam sequi, & operam illi navare in mortuorum regno: ubi ministerio ipsarum indigebat. Jam huic rei à me provisum est, ait: quiescite. Interim, ne sibi ipsis barbara pietate manus violentas afferrent, tonderi statim omnes iussit. Simul atque comâ spoliatae sunt, arbitrantur se inutiles, nec idoneas quæ nobilibus mortuis ministrant. Neque vero mirum est illum, & Litteratorum optimam partem, commenta Bonziorum aspernari, & superstitionum ineptias. Remanet enim in Imperii Sinici corpore, corruptis aliquot ejus membris, notitia veri Numinis, & vim hodieque suam obtinet: adeo ut idolorum cultus, atheorum dementia, veneficorum & magorum præstigiæ, certis temporibus palam edicto publico proscribantur, tanquam falsæ ac perniciose Imperio sectæ; neque aliter quam hæreses apud Europæos, & flagitia quadam publica, tolerantur. Itaque duplex tantum in Imperio Sineni religio approbata publicè dici nunc potest: Christiana, quæ nuper edicto Imperatoris optatam diu libertatem est consecuta; & unius Numinis cultus, quem diximus in mediis ignorantia ac superstitionum tenebris, ut *lucernam in caliginoso loco*, integrum incolumemque perstitisse.

Id cum perspicue multa docent, tum vero apertè colligitur è duplici templo antiquissimo, quod Pekini videre est; altero *Tien Tan*, altero *Ti Tan*, dido. In prioris templi utroque latere legitur hæc inscriptio Sinicis litteris exarata: *Hoam Tien Xam Ti*; & Tartaricis; *Tergibi ab Cai Han*, id est, *Altus & supremus cæli Dominus*. In ea fronte, quæ Austrum respicit, supra majorem portam ingens pariter inscriptio, iisdem characteribus, hanc sententiam præfert: *Cæli supremi Domini templum*: in fronte Boream spectante; *Cæli supremi Domini aula*: fueruntque illæ inscriptiones a super-

premis

premis Imperii tribunalibus & Imperatore ipso verissima iudicata. Sacrificia, quæ iis in locis peraguntur; maximam habent cum sacrificiis naturalis & scriptæ legis affinitatem. Cum iis omnino concidunt preces, & vota quæ Imperator inter sacrificandum concipit: quorum clausula hæc & coronis est: *Supremus, inquit, Dominus iussit, & factæ sunt eres mundi partes præcipuæ, cælum, terra & homo. Ego subditus supplico, ut quorum nomina hic adsunt, progenitorum Imperatorum defunctorum, iis detur æternum frui beata tua presentia, in regia & cælesti aula.*

Templi *Ti-Tan*, terræ Domino dedicati inscriptio Sinica est, *Hoan Tiki*; Tartarica, *Xai-Han*. id est, supremus terræ Dominus. Frons templi sententiam hanc præfert; *Supremi terræ Domini domus*. Confirmant hæc omnia Sinici annales, dum ita scribunt: *Nomine Ti in inscriptione Xam Ti intelligitur Cæli Dominus & gubernator, cuius excellentia non habet parem. Eundem supremum Dominum appellant Conditorem & Conservatorem rerum, hominum cogitationes introsipientem, proborum remuneratorem, ultorem improborum; & (quæ vis est Sinicæ locutionis) sanctè intelligentem. Quid quod populi maxima pars in eandem de Numine divino sententiam concurrat. Prostat in plurimis ædibus, etiam Litteratorum, lignea tabella venerationi totius familiæ proposita, certis exarata characteribus, quorum hæc sententia est; Cæli, terræ, omnium rerum verus Dominus.*

Quemadmodum insigni divinæ bonitatis ac Providentiæ beneficio factum est ut summi Numinis notitia, Sinarum Imperio ab ipsis incunabilis illata, in hanc usque diem vigeret: sic ejusdem Providentiæ munere singulari Christianam legem, cum primum est promulgata, eidem Imperio invectam fuisse multa persuadent. Questus erat Imperator aliquando cum Patribus Societatis, quod serius Evangelicam legem Sina cognovisset. Si est, inquebat, ad salutem necessaria, Deusque nos, uti dicitis, fieri salvos voluit; cur in tantis versari tenebris tandiu passus est? Jam à seculis am-

plius sexdecim religio vestra, una illa scilicet ad salutem consequendam via, fuit constituta: nemo id nobis indicavit; adeone Sina nihil est, ut de illa ne cogitetur quidem, dum tot barbaris gentibus tantum beneficium obruditur? Hic Patres in tanti momenti causam penitus, ut res postulabat, ingressi, docuerunt minime præteritam à Deo Sinam & neglectam fuisse. Monumenta Sinica protulerunt, in quibus proditum est disertis verbis, insignem virum, & vita, virtutibus, prodigiis admirabilem, in Sinam devenisse, celestemque doctrinam tradidisse. Hoc vero tempus, si rationes chronologiæ Sinicæ subducantur, in ætatem Apostoli Thomæ creditur convenire. Id ipsum Chaldaici Meabarum libri confirmant. Quorum in Breviario, ad diem S. Thomæ, hæc leguntur: *Opera S. Thomæ Sinensis & Ethiopes, ad fidem Christianam conversi, veritatem agnoverunt. Itemque alio in loco. Per S. Thomam regnum cælorum in Imperium Sinense penetravit. Rursum, antiphona hunc in modum concinit: Indi, Sina, Persæ, offerunt, in honorem S. Thomæ, debitum suo sancto nomini adorationem.* Plura in hac sententia refert P. Athanasius Kirkerus. (*in China illustrata Part. II. c. 2.*)

Longo post tempore, nimirum seculo septimo, religionem intermortuam Deus in eodem Imperio excitavit, missis ab India præconibus Evangelii: quod obiter innuit historia Sinica, & evidentiis patuit inunte seculo superiori. Signanus primaria civitas est provincie Xenfiæ. Dum ad jacenda adificii fundamenta humus effoditur in oppido vicino, reperta fuit anno MDCXXV. marmorea ingens tabula, olim ad monumentum posteritatis, ut mos Sinarum est, constituta; subinde vero annis collapsa, & in rudibus sepulta: demum, Imperatoris iussu, rursus erecta & ad primum ab urbe Signanso lapidem collocata, ubi etiamnum exstat. In summo Crux egregiè incisa cernitur. Paulo infra legitur doctrina ac Fidei Christianæ summa, litteris Sinicis & Syriacis comprehensa, quemadmodum fusè narrabitur in Parte sexta Historiæ.

